

REVERENDI PATRIS
ALBERTI
CHANOWSKY

è Societate IESV

VESTIGIVM
Boëmiæ Piæ

Seu:

RES QVÆDAM MEMORATV dignæ, quæ in Boëmia, præsertim in Districtu Prachensi & Pilsnensi, vel ab hominibus sunt piè erga DEUM gestæ, vel à DEO hominibus singulari favore, aut etiam in pœnam acciderunt.

Notis illustratæ & Auctæ à P. IOANNE TANNER *eiusdem Societatis Sacerdote.*

(*)

PRAGÆ.
Apud NICOLAUM HOSING
Anno 1659.



PROTESTATIO.



Vod ipſo vitæ P. ALBERTI CHANOVVSKY *principio ſum proteſtatus, id ipſum hîc iterum iterumque repetitum cupio, me videlicet hæc omnia Fide ſolùm humanâ hiſtoricâ proponere (exceptis quibuſdam quæ in capite 3. & 4. Poſita publicam habent à S. Eccleſia authoritatem) ut omnes intelligant à me ſervari, ſervataque velle ea omnia, quæ SS. Papæ Vrbani 8. Conſtitutio, aut declaratio, & Confirmatio circa elogia virorum à virtute commendatorum exigit, pro ut ſuperius id fuſius eſt declaratum; ita ut ſi quid hîc ſecus dictum eſſet, id omnino non dictum aut ſcriptum eſſe velim. Vnde dum nomina ſanctitatis, aut ſancti, aut Martyris, me uti contingit circa perſonas ab Eccleſia non ca-*

 noni-

nonizatas, id me facere profiteor iure, quo vocabulis eiusmodi licet uti, etiam Rhetoribus, ac profanis Historicis, aliisque Latinæ linguæ scriptoribus, sine ullo præjudicio ulteriori; cùm solius sit S. Romanæ Ecclesiæ Catholicæ (cui salvator ipse spiritum sanctum est in Evangelio pollicitus) infallibile ferre iudicium de cuiusvis sanctitate, aut vera virtute, ac meritis coram Deo. Quare hæc omnia & singula plenè ac perfectissimè subiicio, sensui & iudicio sanctæ eiusdem Matris Ecclesiæ, cuius obediens Filius esse ac vivere semper volo, auxiliante Deo ita, ut atrocissimis malim potius interire tormentis, quam ab eius decretis & sensu dissentire: Ita me DEVS adiuvet.

IOHANNES TANNER
Societatis IESV.

PRO-

PROOEMIVM.



Xigere videbatur ſingularis illa venerabilis P. ALBERTI CHANOVVSKY virtus, vt quæcunque viri huius haberi poſſent lucubrationes, tanquam ſacra quæpiam analecta proferrentur, in vſum ac fructum publicum, non minimum fortè allatura etiam gloriæ divinæ ac ſalutis animarum augmentum, cùm ſœpè ſpiritus & vis animi magis appareat, in eis, quæ quis dixit, & ſcripſit, quàm quæ de ipſo ſcripſere alij & dixere: præſertim cùm viris Sanctiſſimis non ſemper ſcriptores obveniant paris Sanctitatis.

Paraverat quidem typo plura Pater CHANOVVSKY, ſed linguâ Boëmicâ: Inter quæ eſt præclara quædam in Dialogi reducta normam Catecheſeos, variorumque Eccleſiæ rituum explica-

tio; Item dialogi de Nativitate & de Paſſione Domini ad plebem ruſticam varijs in locis producti. Hæc autem, quæ ſtylo, & phraſi ejus ſervatâ, in lucem proferuntur Latina, affecta ſolum ſunt à morte eius reperta: Adeque cùm manus extrema defuerit, faciliorem apud lectores invenient veniam ſicubi numeris ſuis non abſoluta putabuntur.

Præfixerat ille ſuis hiſce collectaneis Titutù *Boëmia pia*, cuius tituli Maieſtas, cùm opuſculi huius conditionem excedere longè videretur, Illi Epigraphen *Veſtigii Boëmiæ piæ* præfixi, quia P. CHANOVVSKY, grandem Boëmiæ piæ Domum, quaſi quoddam ædificium ingens molitus, in his collectaneis ſuis, velut in quodam futuræ ſtructuræ veſtigio, cogitationes ſuas incepit delineare.

Etenim ſi quis vniverſa, quæ Boëmiæ piæ Titulo comprehenduntur ſcriptione vellet complecti, næ ille Tomos multos bene grandes impleret cũ

vel

vel ſola Regum Boëmiæ pietas, eorumque in Deum, in Deiparam in Sanctos, in ordinem Eccleſiaſticum, in Homines Religioſos, in viduas, pupillos, mendicos, & afflictos, affectus virtuteſq; reliquæ, & Fundationes, Donationes &c. Nullo fortè vno Tomo poſſent comprehendi.

Certè ea, quam Reverendiſſimus D. Bertholdus Pontanus, Metropolitanæ Pragenſi præpoſitus ſcripſit Boëmia Pia, ne centeſima quidem videtur eſſe eorum portio, quæ de ſanctis Boëmiæ, deque miraculis, de virtutum exemplis, alijſque ad Titulum illum pertinentibus dicenda reſtant.

Nec mirum id videri debet, cum olim ante VVenceslai Pigri tempora Regnum hoc maximo pietatis cultu præ reliquis Europæ provincijs (teſtibus. Ænea Sylvio, Cochlæo. &c.) Floruerit, deindeque Huſſitarum oppreſſum armis, innumeros Cælo dederit Martyres, ac tandem nuper ingenti DEI beneficio, rurſus Auguſtiſſimorum

Austriacorum Cæsarum studio sanctæ restitutum Ecclesiæ, multis viris Apostolicis ingentium laborum pariter ac virtutum præbuerit amplissimam occasionem.

Habet etiam hoc Natio Boêmica id peculiare,, ut, cúm pietatem suam in DEUM vult contestari, quam gentes aliæ pijs peregrinationibus, arctis jeiunijs, acribus corporis diverberationibus, prolixis precibus, publicis inspectante populo, pœnitentiæ, & Ardoris indicijs, magnificis supplicationibus, personalibus erga ægrotos in Nosocomijs obsequiis, ab hominum consortiò secessibus, alijsque modis Sanctissimis, declarant, ipsa se non putet id præstare posse excellentiùs, quã si liberali munificentiâ opes suas in cultum DEI promovendum, Religiosorum ordinem sustentandum, in templorum donaria, atque in alia ejusmodi insumat.

Hinc tanta vetustissimarũ fundationum multitudo, tantus olim in Boêmia


mia Cœnobiorum, Xenodochiorum & Nosocomiorum numerus, tanta templorum amplitudo & Majestas, tantæ Ecclesiarum opes. Hinc etiam tanta iterum à gloriosa Ferdinandi II. Imperatoris in Albo monte adversus hæreticos Anno 1620. Victoria, intra tam breve annorum spatium Monasteriorum Religiosorumque frequentia, vt cùm ante illam victoriam prope nulli censerentur, nunc eorum millia possint iterum numerari.

Quare, quæ in his Auctarijs breviter nunc & obiter adijciam, boni Lector consulat, donec fortè quispiam alius Bœmiam Piam magis illustret: In quibus ipsis cùm plurimùm adjutus sim operâ Reverendorum è Societate nostra P. P. Georgij Crugerij viri veterum & abstrusiorum patriæ monumentorum perquàm peritissimi, & Bohustai Balbini omni politiori eruditione excultissimi scriptis suis de patria pietate benè meriti, eorum etiam honorificam memoriam grati animi

 ergò,

ergò, hic oportuit collocari: præsertim cùm eorum in eruendis antiquitatis monumentis, restaurandaque veteri in patria nostra pietate diligentiæ multum debeat Boëmia vniversa.

Notas nihilominus quasdam tum claritatis gratiâ, tum subinde etiam complementi causâ, itemque Auctaria quædam adjeci, quæ tamen vt Lector à genuino Patris ALBERTI partu secernat, seorsim charactere diverso damus.



VESTI-

VESTIGIVM BOEMIÆ PIÆ

Caput. I.

Eucharistica.



IN ea, quæ ex Boëmia ducit in Bavariam semita, non procul à Templo peregrinationibus celebri Deiparædicato, *ad S. Cruorem* dicto, lapis visitur non modicus vno ex latere à summo ad hnmum quasi abſectus. Cùm enim reliquos inter è Boëmia peregrinos quondã Ancilla Rustica è tugurio, propè templũ S. Catharinæ Virginis ad limitem Boëmiæ sito, ubi vulgò na Kralovvstvvy id est, *in Regno*, nuncupatur, sacratissimo Domini corpore apud S. Cruorem sumpto, docmum reverteretur, accidit vt ex nimia potùs cibique ingluvie, quà sese illo die immodicè ad ebrietatem ingurgitaverat, ex-

citatum vomitum in eum lapidem ejecerit: qui ſtatim quaſi petras in Domini morte quondam ſciſſas imitaturus, ita medius diſſilijt, vt nullius manu artificis melius findi potuiſſet: Simulque hoc, quod etiamnum eò loci ſupereſt, fruſto immoto ſegmentum alterum ad ſpatium ſex vlnarum occultâ vi fuit inde revolutum: quod poſtea Don Martinus de Huerta in arcem ſuam VVelhartitcz miraculi memoriam curavit inferri.

Nepomuci habetur ciſta, in qua ſacræ veſtes in prætorio illius oppidi aſſervabãtur. Exorto autem aliquando illic incendio totum ferè prætorium conflagravit. Arſerant ſub ciſta pavimentum & trabes? ſupra fuit igne coöperta; à partibus tota in igne, & cùm conſtaret ex lignis piceis, tamen ignem non concepit, neque ſacræ veſtes, quas continebat, minimum quid detrimenti paſſæ fuerunt. Hanc ibi piè ſervant, propter prædictæ rei memoriam.

Ibidem circà Annum Domini 1580. Fures V. Sacramentum vnà cum Ciborio acceperunt, & ejectis ſacris hoſtijs in ſtruem lignorum, cum ſacro vaſculo abierunt. Manè autem facto, Paſtor minabat pecora.

ad

ad paſcua verſus prædicta ligna: quo cùm veniſſent, rugitu & mugitu, & genu flexionibus honorabant Creatorem ſuum. Neque abigere illa indè paſtor potuit prius, quàm ſacerdos cum populo veniſſet: & inde V. Sacramentum honeſtè detuliſſet in Eccleſiam: in eo autem loco eſt nunc ſacellum Corporis Chriſti.

Cum monaſterium Milivvsko, Ordinis Præmonſtratenſis tempore hæreticæ adverſus Cæſarem in Boëmia rebellionis, occupâſſet quidam Dominus Hodiegovvſtê incluſiſſetque in templum oves ſuas circiter trecentas, omnes illæ eadem nocte illâ ſunt extinctæ.

Horazdiovvicij feſto Corporis Chriſti tempore processionis, quædam Mater familias dixit, *claudite noſtram domum nè forſitan iſte DEVS apus (fere carens pedibus) ad nos ingrediatur*. Volens eâ Blaſphemiâ Chriſto benedicto exprobrare, quod, cum alienis ſacerdotum manibus circumferatur, ipſe ambulare non poſſe videatur. Sed omnino ſuà potentiâ ingreſſus fuit. Nam procax illa Mulier Filium, quem vtero geſtavit, peperit ſinè pedibus, re educavit uſque ad Adoleſcentiæ, aut ſe- & virilis ætatis annos, vt eſſet exemplum

omnibus. Ipsa miserabiliter perijt. Maritus ejus seipsum interemit. Testes huius rei tota civitas Horazdiovvicensis.

Strakonicij in templo arcis est foramen seu vorago in terra, vbi absorpta dicitur quædam Domina, eò, quod præ superbia sibi curaverit pinsi crepitas similæ, seu candidi panis; id quod videbatur redundare in contumeliam V. Sacramenti à Christo Domino sub specie candidi panis instituti. Supra hoc foramen est altare, in quo propter evaporationem aquæ ex illo foramine omnia madent.

Bucdvvicij habitabant plurimi Iudæi, & olim synagogam habebant propè ad templum Christianorum. Contigit autem aliquando, vt V. Sacramentum cum Monstrantia ex templo furtim auferretur. Et dum sacerdos Catholicus sollicitè inquireret de amissis, sol resplenduit in pariete synagogæ Iudæorum, in quo splendore visa fuit Monstrantia; quare eo indicio amissa invenerunt. Iudæos maturos omnes occiderunt, cum junioribus matrimona junxerunt.

Non longe à civitate Kutenbergensi in pago dicto Priovv V. Sacramentnm in quodam pomario sub arbore inventum fuit; fu-

it; fures enim direpto quodam templo, id illuc projecerunt. Quidam autem vir & Mulier valdè adversa valetudine colluctãtes eò advenerunt, Christum adocaverunt & sanati sunt.

Olomucij in Moravia eo loco, quo nunc est sacellum nobilium convictorum, fuit quondam synagoga, in qua Iudæi V. Sacramentum confixerunt: Et hinc origo illius sacelli: nec ab eo tempore quisquam Iudæorum in ea vrbe habitat:

Auctarium.

Glezinij, civitate olim Pikartitarum hæreticorum nido, Fides Catholica cœpit post Anni 1620. Victoriam à Ferdinando Secundo Cæsare in albo Monte obtentam reflorescere hâc occasione. P. Ioannes Flaxius è Societate IESV ibi fœminam quandam ægrotam cognomine Holubianam sacrâ synaxi refecturus accesserat. Dumque sacracratissimam hostiam super patenam elevatã iam porrigere pararet, repente ex hostia illa

capit

cœpit ſanguis guttatim ſtillare; nemine tamen id ipſum præter ſolam ægrotam advertente. Quæ cùm paulo ante hæreticis adhæſiſſet, negaſſetque ſub ſpecie panis, etiam ſanguinem Chriſti Domini contineri, hoc prodigio admonita, cœpit & ipſa tantò firmiùs Catholicam amplecti veritatem; & ad aliorum converſionem maximum attulit momentum, cùm hoc ſuum viſum plurimis evulgaſſet, idque conſtantisſimè teſtaretur ad mortem uſque, quæ paulo poſt fuerat conſecuta.

Cum Anno Domini 1618. Hæretici, qui civitatem Pilsnam duce Mansfeldio obſidebant, Templum omnium Sanctorum in colle civitati vicino locatum convertiſſent in ovile, eorum quidam ſuper aram maximam petulanti protervià iacere, & dormire auſus inventus eſt à ſociis ſuis exanimis, & ex ara translatus ad ſepulcrum.

CAPVT

CAPUT. II

Mariana.

(ANno 1620. Cùm Maximilianus Bavariæ dux & comes Bugvvoi exercitus Catholicos contra Pragam ducerent, invenerunt in civitate Strakonicensi imaginem beatæ Virginis Deiparæ ſculptam, à militibus hæreticis peſſimè tractatam ac vulneratam. Hanc pater Dominicus Ordinis Carmelitani, vir ſanctitatis celeberrimæ, tunc exercitum Catholicum comitatus, ſecum ad Album montem abſtulit ad locum victoriæ, quam ipſe clariſſimè prius haud dubiè ex Reginæ cælorum patrocinio ac revelatione) palam prænunciavit. Inde imaginem illamRomam ſecum detulit, templumque in quo locaretur fecit erigi, dictum: *Beatiſſimæ Virginis de victoria Boëmica.*

Ad civitatem Przibram eſt templum beatiſſimæ Virginis in colle, qui vocatur *Mons Sanctus*, cujus denominationis cauſa dicitur eſſe, quod cùm olim in illo colle patibulum, & in alio remotiori à civitateTemplum ædificare diſponerent, materia futuri

futuri ædificij, Templi transferretur ad propinquiorem collem civitatis; id quod occulto quodam & miro modo fiebat: & inde dicitur appellatus *Mons sanctus*, quòd sibi eum DEUS elegerit, & sancti-ficaverit. Alij autem referunt equitem quendam cũ adversarijs congressum, & ad certam mortem petitum, vix fugâ vitam salvâsse, & cursu velocissimo equi, tandem in prædicto monte constitisse & inde vocasse eum sanctum montem; & pro gratiarum actione illic DEO & beatissimæ virgini sacellũ exstruxisse. Imago ipsius non ita pridem fuerat depicta in ipsa æde sacra, & litteræ tantum initiales nominis & cognominis ipsius. In renovatione autem templi hæc deleta sunt. Illic igitur nostro tempore erat vetus Imago Beatissimæ virginis, quæ forte dum hæc civitas aliquando Catholica erat, miracula faciebat, sed tempore hæreticorum Sinè dubio cessârunt. Quo tempore etiam quidam exemita hæreticus sacris imaginibus in pariete templi depictis oculos eruit.

Contigit autem Anno 1629. Circa diem 20. Iulij parocho Przibramij existente D. Marco fallero, primate D. Ioanne VVelvvarsky (cuius maximè operâ senatus prædictam

dictam imaginem vnà cum altera statua S. Elisabethæ curavit renovari) sequens historia.

Pictor hæreticus ridicula quædam de his imaginibus loquens à Domino Parocho monitus fuit, tales jocos relinqueret; sed is cum renovasset imaginem sanctissimæ virginis Matris & Filij, inhonestè de illis loquebatur, inhonestè illas appellabat, in domo primàris vbi pingebat. Et ecce ultio divina in illum. Paulò post fulmen ter subitò consequenter intonuit cum maximo boatu, & pictorem prostravit, manumque dextram adussit. Erat tota sicut pannus, vel carbo, nigra. Interim ignis ille discurrebat per hypocaustum, & atrium domûs: sed neque imaginibus, neque vlli rei in domo quidquam nocuit, qui tantũ ad ultionem de Blasphemo pictore sumendam missus erat. At ille animadvertens manifestam pœnam sui sceleris, vitæ emendationem promittebat: & factus Catholicus ad huc hodie vixit.

Eodem Anno 1629. Fuit quidam pragæ textor, nomine *Ioannes Svvoboda* Nimburgo oriundus, qui eliso aliquando vno oculo, altero tantum ad videndum vtebatur sed illo etiam obtenebrato omnino cæcus

multo

multo tempore extitit: Cuius rei testimonium habet scriptũ à Senatus Pragensi. Hic varia noctu somnia, & de die internas motiones habuit, vt adiret sanctum Montem, illic Eremita fieret, vt visum reciperet. Huic divinæ monitioni non statim locum dedit, partim, quòd dubitaret num verè id voluntas DEI esset, partim quòd nesciret, qui & vbi *Mons Sanctus* diceretur, & cæcus eo ire non posset, partim quod vxor ejus Praga abire, & solitariam cum illo vitam agere nollet. Distulit hoc itaque duobus annis. Tertio tandem anno, qui fuit Christi 1632. ita huiusmodi cogitationibus agitatus, & fatigatus fuit, vt ferè amens efficeretur. Et tunc tandem de loco inquirere cœpit, & conducto puero Przibramium adductus Anno 1632. Decimâ Iunij. Visum autem illius oculi recepit eo Anno die 14. Iunij: Nam alter oculus pridem omninò excussus fuerat:

Hic plurima Deus in honorem Matris suę operatur miracula, licet ea ex mera negligentia non conscribantur. Hæc tamen quasi in communi, præcipua his 6. Annis 38. ab Anno 1632. ad usque Annum 1638. Notata fuerunt.

In pri-

In primis, diversis hominibus eò venientibus, aliquando imago nihil mutatur: alias autem fit cærulea, vti cæruleus pannus; alias pallida, sicut alba tela; aliquando erubescit aliàs vnum vel vtrumque oculum claudit: & subinde vberes lacrymas fundit. Forsitan prout sunt gravia al cuius adstantis delicta. Terribilis autem mutatio contigit Anno 1638. *Die 19.* Martij pluribus præsentibus, quando manifestè tota imago se avertit à Domina Dorothea Miesiczuovva, & cum violentè eam vertissent vultu ad eam dominam, iterum tota statua magnâ vi, se ab illa avertit. Et licet hoc quidam conati sint obscurare, & supprimere: tamen illa ipsa Domina, hoc idem multis retulit, & multi, qui hoc miraculo aderant, testantur.

R. Dominus Iallerus parochus przibramensis sæpius conabatur montem illum equo vectus conscendere; equus aliàs mansuetus tulit Dominum usque ad radicem montis, sed ulterius nullâ ratione progredi voluit; Quod multi pro miraculo habent, quasi bestia non auderet Montem sanctum contingere.

Anno Domini 1637. die 20. Iunij noctu vtraque campana quæ supra templum sunt

 pulsaban-

pulsabantur. Exterritus eremita consurrexit, templum clausum reperit, aperuit, & nihil amplius audivit, neque vidit motus funium campanarum. Quare conterritus existimabat illusionem; donèc mane ex civitate ad illum quidam miserunt, rogantes quis pulsus illa nocte fuerit, & quid significaverit. Quibus respondit se etiã audivisse, sed causam facti ignorare: Totus tamen fuit turbatus, nesciens quidnam hoc portenderet.

Anno 1638. die 1. Iunij lumen quasi fuisguris coruscantis totum templum exteriu. circumdedit: Quod subinde dicitur fieri: maxlmè verò circa festa Beatissimæ Virginis.

Catharina filia Ioannes Tubicinis Brzezniczensis continua febri divexata nullis medicinis curari potuit. Voto autem concepto, & peregrinatioue susceptâ ad S. Montem przibramensem sanata fuit.

Hæc de Monte Sancto hactenus.

Illustrissima Herula Euphrosyna de Sternberg filiæ Domini Adami supremi Purgravij Boëmiæ, compluribus annis adversâ valetudine laborabat, vt vix ossi-

bushæ-

bus hæreret. Vidi frequenter illam iam nubilem ab ancilla vel famulo tanquam infantem in ulnis gestari. Hanc subijt aliquando vehemens desiderium vt peregrinationẽ pedes susciperet ad sacram ædem D. Iacobi. Ordinis conventualinm S. Francisci pragæ, quod Mater comitissa ab Hohenzollern prohibebat, eò quòd prædicta virgo ne hypocaustum quidem commodè transire posset. Tandem victa Mater Filiæ importunis precibus cessit, & concessit dictam peregrinationem. Et illic celebris Imago beatissimæ virginis, quæ frequentibus miraculis erat exornatur. Eundum erat per arcem Pragensem, per Pontẽ per minorum ac veterem vrbem: Comitabantur sorores, & plures pedissequæ, ut deficientem roborarent; non est tamen passa, vt earum obsequium admitteret in via, quamvis sæpius ipsa substiterit, & respiraverit. Donec tandem feliciter ad aptatam Imaginem Beatissimæ virginis perveniret; vbi cum vota exolveret, & donum offerret, statim sensit, se [illegible] Quare gratias agens Christo, & Beatissimæ Matri domum jam facilè sine vllo humano auxilio repedavit. Et tandem salutari consilio cum eodem Christo, & B. Virgine facto

ad

ad ordinem Carmelitarum Discalceatarum Viennæ est adscripta, vbi in vitæ austeritate maximè verò humilitate & obedientia etiam modo vivit.

Nezamisticz est pagus sub Dominio Zichowicensi Illustrissimi Domini Francisci Libsteinsky de Kolowrat, vbi templum Beatissimæ virginis egregium visitur, olim à Puta Barone Ssvvihovvio ibi erectum. *Magnæ* & solemnes eò fiunt peregrinationes, præcipuè Festo Annunciationis & assumptionis B. Virginis plura sinè dubio olim facta, sed nulla notata miracula excepto vno, quod nostrâ ætate contigit, & ibidem depictum & descriptum cernitur: cujus exscriptionem hic expono: Sic ferè se habet. Anno *1626*. Venerunt aliquot milites ad prædictum templum, & in summa æstate ac messe mense Iulio illic subdio in campo pernoctârunt. Erat autem inter illos vnus cum vxore valde prægnante, quem reliqui notârunt nummos asservare. Quare conspiratione factá ipsum interemerunt: Vxorem illius etiam novē vulneribus inflictis in ventrem punctim, & totidem alijs cæsim vulnerârunt, & alias multum contuderunt, & mortuam (vti existimabant) manipulis contexerunt, atque distri-

distributâ inter se pecuniâ, abierunt. Illa autem fœmina preces & vota ad Deum & Beatissimam Virginem fundebat. Manè facto, rusticus quidam suos dissipatos manipulos colligens mulierem vivam reperit & aquâ turbidâ potavit, & vulnera lavit. Illa recreata ad vicinum Templo Xenodochium perrexit, sed inde repulsa, & extrusa ad pagum sub quodam tecto ventis pervio duobus diebus jacuit: Tertiâ autem die peperit infantem mortuum, atque tunc ad exilem rusticanam domunculam est recepta, cibo sustentata octodecim diebus à Domina Lucia de Kolovvrat, nata à comitissa de Martinitz. Fundatrice deinde Collegij clatoniensis miraculosè auxilio Beatissimæ virginis sanata; demum in Bavariam Septemdecim milliaria duce quodam nuncio confecit promittens se quotannis Nezamisticium pro gratiarm actione visitaturam; quod etiam pluribus annis fecit.

Illustrissimus D. Henricus Baro de Kolovvrat Dominus in Zichovvicz cum conjuge Elisabetha, de Lobkovvicz vixerat jam annis 8. neque ullum prolem susceperat. Quodam tempore incessit vtrumque conjugem desiderium peregrinationis ad B. Virginem in Bavariam dictam ad *San-*

ctum Cruorem. Habuerunt eo tempore apud se in missione nostrum Religiosum patrem Gregorium Kaminsky, qui longitudine morbi semper ingravescentis, desperata jam valetudine Domini & Dominæ precicibus se commendabat, & ut pro ipso sive vivo, sive defuncto Sacrificium missæ in prædicto sacro loco offerri curarent, exorabat Petierunt pariter ab ijsdem Dominis pia in eodem loco suffragia, duo coniuges illorum subditi pro filio suo, quem infantem distortâ facie, manibus & pedibus deformiter divaricatis habebant. Postquam igitur prædicti Domini locum sacrum attigissent, & sequenti die sanctam ædem adijssent Domina visis tot sacerdotibus, quasi divinitùs mota singulos rogare cæpit, vt in misseDeo offerrent desiderium ipsius, quod illi inibi occurrerat ex repentina quadam spe se nimirum certo concepturam Filium, si pro eà ad Deum illi sacerdotes exorarēt. Factum est, & Mulier concepit, & suo tempore peperit Filium Franciscum nomine, qui nunc vtilissimus servit suæ Maiestati Ferdinando III. Consiliarius intimus Camerarius, præses cameræ Boëmicæ & Aulicæ semper præsens suæ Majestati. Et pro grati animi signo imaginēFilij depictā in eo

loco

loco sacro appenderunt, quæ etiam hodie inibi visitur. Appromiserunt etiam Deo, & divæ virgini, se quot-annis semel, dum viverent, eam ædem adituros, & gratias acturos. Accidit autem, dum illic morarentur, curârunt sacrum fieri pro dicto patre Kaminsky, & infante deformi, ut dictum est, sacrum iuquam in Bavaria, & ecce in Boëmia illâ ipsâ horâ sacri, Pater propè moribundus surrexit, indutus deambulavit; cibum sumpsit; integrè denique sanatus fuit, mirantibus & stupentibus omnibus. Infanti quoque deformiter informi eâdem horâ divinitus omnia membra directa, & decenter suo ordine & loco composita subitò sunt. Hinc DEUS & Regina cæli summè laudati fuerunt. Vidi huuc puerum jam iuvenem barbatum in aula prædicti Domini, qui jam uxoratus vivit.

Reperta fuisse aliquando narratur imago divæ virginis in agro Caioviensi, quæ in templo collocata inibi plura edidit miracula, quæ notata non fuerunt. Celeberrimæ tamen eò processiones, & accursus populi habentur. Majoribus etiam solennitatibus Beatissimæ virginis, vigiliæ, veteri more Ecclesiæ celebrantur.

 Maxi-

Maximè verò ad initium autumni collectis jam frugibus tria, ut vocant, *aurea Sabbata*, maximâ populi frequentiâ, vigiliis, & devotione transiguntur. Vnum tamen occurrit, quod contigit nostrâ ætate cum Reverendo Patre Ioanne Mariano Societatis IESu. Natus is fuerat Budvicij honestis parentibus, membris tamen quibusdam distortis. Quare solliciti & afflicti parentes ad Christum Dominum & Reginam cæli humillimè confugerunt rogantes, ut illum rectitudine membrorum donarent: Quin etiam infantem Caioviam deferentes divæ virgini obtulerunt. Nec frustra, neque morâ, citò membra omnia suis locis directa fuerunt, puerque ob id *Marianus* appellatus; quamvis neforte esset aliquando beneficij immemor, vestigium mali in altero pedum supersit, quo aliquantum claudicare cogitur.

Quodam tempore, ut homines fide digni, qui etiam nunc supersunt, testantur, Buccinator hæreticus ex oppido Milin concionatus in pago Peczicz, & post cōcionē promulgaturus festū B. Virginis Assumptæ dixit: *Vtrum sit assumpta nescio, sed hoc scio, fuisse peccatricē, uti aliam quamlibet fœminam:*

minam. Post hæc cum æditu & puero revertebatur domum; & cùm gravis somnus illi obreperet, in quodam prato decubuit, & somnum mortis, somno naturæ sociavit. Et multi pij dixerunt ipsum à Christo Domino, ob injuriam SS. Matri illatam meritò punitum fuisse.

Anno 1560. Sub rege Boëmiæ vvladislao, rustico quodam, apud veterem Boleslavviam arante agrum suum, cùm ad eum locum venisset, vbi nunc május altare in sacello B. Virginis visitur, equi substiterunt, & nulla ratione vlterius progredi voluerunt. Suspicatus ruricola id, quod erat, aliquid mirabile eò loci latere, scrutando profundius in terra Imaginem D. Virginis cum puerulo IESU reperit. Bis & tertio ad vicinam sacram ædem S. VVenceslai reposita, ter in prædictum locum, ubi, prius reperta fuerat, redijt. Adverterunt Canonici Boleslavvienses eam colendam in eò loco: Quare exiguam prius ædiculam inibi exstruxerant, quæ deinde piorum hominum Eleëmosynis dilatata fuit. Hoc gratum fuisse numini testantur miracula divina, piorum vota, peregrinationes, & dona. Hæc autem Imago putatur fuisse D. VVenceslai Martyris, cui

occiſo aliquis de collo detractam in terram abjecerit, & humo profundius ſepeliverit, ex eodem enim metallo, ſcyphus eiuſdem S. Martyris conflatus viſitur. Iam autē miracula ſinè dubio plurima, quæ frequenter illic contingebāt non ſunt conſcripta, niſi hæc pauca quæ noſtre tēpore contigerunt.

Anno 1588. Carolus Compagnion pedem fregit, ſed concepto voto ad D. Virginem Boleslavvienſem ſtatim ſanatus fuit.

Anno 1609. Eliſabeth Baroniſſa Berkiana, aliàs oriunda è familia Baronum de Zurotin in partu moribunda, voto facto per maritum feliciter enixa cùm prole & Marito votum læta perſolvit.

Anno eodem 1609. Ama Feldkyrcherin ex gravi in pede vulnere poſt votum ſubitò ſanata.

Illuſtriſſimi Domini comitis Iaroslài Martinicz duo Filij diverſo tempore graviter uſque ad mortem decumbentes votis conceptis à parentibus, ſanati ſunt. Iidem aliàs & parentes, & Filij, in varijs neceſſitatibus magna beneficia per eandem reginam cæli experti.

Anno 1610. Georgius Ludovvicus Landgravius de Leychtenburg cum Filia, quæ

poſtea

postea nupsit duci Bavariæ Alberto in gravissimis morbis per votum subitò sanati.

Eodem Anno IoannesBeschsilesius Boleslavviæ existens duabus Filiabus in silesia commorantibus sanitatem impetravit.

Eodem Anno 1910 Bartholomæus Tyksler ex nova civitate Pragensi manum fregerat, eodem modo sanatus est.

Sic Anno 1655. Illustrissimi DD. Christophorus Albertus de Raupovva & Christophorus comes de Fùrstenberg ex morbo sanati.

Anno 1612. Margaretha comitissa de Donin sanata.

Sic quidam silesius Hæreticus quamvis in Beatissimam Virginem Blasphemus, tamen patrocinio ejus ad Catholicam fidem sincere & ardenter est conversus.

Anno 1613. Illustrissima Domina Lucia Slavvatina vltima Familiæ de Novadomo, & Sabina. Zeidlicovva eandem Virginem benignam erga se expertæ

Anno 1626. Quidam civis è minori civitate Pragensi seu parva parte lethaliter æger, invocatâ hâc sanctâpatronâ sanitatem recepit.

Anno 1626. Eodem modo VVilhelmus VVirtenhorſt ferè ſtultus ſanatus fuit.

Anno 1627. Quædam mulier dolores colli, tactu veli, qnod ſacram Imaginem attigerat, ſanavit.

Eodem modo R. P. VVenceslaus Rauſchar Societatis IESu. Religioſus, enervatæ vnius manus ſanitatem impetravit.

Anno 1628. Quædam virgo Barbara ex parva parte Pragenſi ſanata eſt.

Anno 1629. Eliſabetha Tanneriana civis Pilſnenſis, Iacobo Filiolo ex calculo graviſſimè ægro ſanitatem impetravit.

Et hæc ipſa Eliſabetha eſt Mater, Iacobus verò eſt Frater meus Ioannis Tanner, qui vitam P. Alberti Chanovvskii conſcripſi, & hæc collectanea notis auxi, teſtorque miraculum illud omnino ſic ſe habere,

Hactenus de veteri Boleslavvia.

Illuſtrisſimus Dominus Florianus Theodoricus Zdiarsky, cum in Italia Loreti exiſteret, ingens ipſum deſiderium incesſit, vt ſi incolumis in patriam revertiſſet, tempellum Beatisſimæ Virginis admodum Lauretani in ſuis bonis ædificaret. Acceſ-

ſit poſt

fit post etiam attera causa, quæ ipsum ad ædificandum prædictum sacellum vehementius pervisit. Cum enim uxorem duxisset illustrissimam Dominam Elisabetham Coronam comitissam de Martinicz, & nullam prolem ex ea suscepisset, idem desiderium voto firmavit. Post felicem itaque victoriam illam, quam divina Maiestas largita est Ferdinando II. Imperatori receptâ Pragâ & totâ Boëmia prædictùs Illustrissimus Zdiarsky, vbi passavio domum revertisset, locum aptum pro sacello erigendo elegit. Et campus undique latepatens, in quo silvala quadrata quatuor lemis Praga in cujus medio fundatum est sacellum ad longitudinem & latitudinem sacelli Lauretani in Italia. Anno 1623. Primum lapidem Illustrisimus Dominus cum vno Patre Societatis posuit. Indictæ sunt deinceps peregrinationes magna populi pietate, & spirituali fructu quotannis celebratæ vbi non nulla etiam miracula evenerunt.

CAPUT III.

Sancti Boëmi.

PAtronos Boëmia habet multos, domestici sunt S. VVenceslaus. Adalbertus, S. Gaudentius (*Boëmis dictus S. Radim*) S. Adalberti carne & Religione Frater, ejusdem in Archiepiscopatu Gnesnensi successor, ex Polonia Pragam cum S. Adalberto translatus, à Duce Bretislao Anno 1039. S. Procopius, S. Ludmilla; Ioannes Nepomucenus; Agnes premislai ottocari Filia. Hroznata à Kuttenstein, & VVoyslavva soror ejus, Zdislava stemmate Berkovvna; Mlada Filia Boleslai crudelis; Pribistavva soror S. VVenceslai. Bodevvin Famulus S. VVenceslai; Amabilia Stemmate SSchurhovvkiana: Ernestus Archiepiscopus Pragensis; VVenceslaus Secundus Rex Ottocarus, kunhuta vidua Monialis Filia Ottocari, Soror VVenceslai Regis.

Plurimi Martyres Sacerdotes & Laici clàm & palàm sub Principatu Drahomiræ & deinceps usque ad principatum Boleslai Pij occisi.

Quin-

Quinque Martyres Fratres germani S. Adalberti, quorum nomina sunt: Sobiebor, ſpitimir, Bohuslavv, Borceg, Cziaſtavv ab Ethnicis in civitate libice vivente S. Adalberto occiſi.

Catechiſmus hiſtoricus dauroultij ſcribit, quod Eoroſia Filia Regis Boemiæ in Hiſpania à mauris ob fidem & Virginitatem ſervatam occiſa, in civitate laca, multa ediderit miracula, promiſeritque illi Deus, quòd qui illam invocaret pro pluvia, vel contra peſtem per intercesſionem ejus exaudiendus eſſet.

Adjacet Nepomuko Arx cubi olim fuit monaſterium nomine *Zelena hora*, id eſt *viridis Mons*. Cum igitur olim *Boëmi* ſuo ſancto Epiſcopo Adalberto inobedientes fuiſſent, ipſe deſertis illis Romam petijt, & expetijt à ſummo Pontifice in illos ex communicationem: vnde non pluit in terram illam duobus circiter annis: ſed cum poſtea repeteret *Boëmiam*, aſcendit in prędictum montem, & abſolvit juſſu Papæ Boëmos ab ex communicatione. Et ecce ſubitò *cælum* pluere cœpit, & montis prędicti herba arida ſtatim reviruit, vnde nomen accepit, *Montis viridis*. In illa arce

eſt la-

est lapis durissimus in quo aliquoties sedit S. Episcopus Adalbertus, & manent vestigia illius sessionis.

Medio milliari à Nepomuko, est in silva sacellum S. Adalberti, & in eo lapis valdi durus, in quem inpressum est signum totius corporis S. Adalberti jacentis, quia sanctus jacuerat in illo. Multa Deus ibi sanitatum operatus miracula; ego bis jacui in eo lapide, & bis fui sanatus à febribus.

In sacello Arcis Zvviko scriptum est: *Mi sancte Gerlace, ora pro me.* Fuit hic vix valde pius ex ordine Præmonstratensi, cujus corpus in Zvvikovv fuit aliquot annis postea translatum est in oppidum Milivvesko.

Cajoviæ ostendebatur capitis humani calvaria, quæ in altari reperta, ad ossarium deportata, non semel iterum priorem locum repetijt. Forsitan alicujus sancti viri fuit.

NOTÆ.

[Quæ P. Albertus hoc capite in digesta congregavit, explicatione indigent, præsertim, cùm non paucæ ab eo hic memoratæ

ratæ personę.nec á S. R. Ecclesia in sanctorum sint catalogum relatæ nec vulgo nunc notæ, multo minus publico aliquo cultu his temporibus afficiantur. Vt ergo constet qua de causa Pater Chanovvsky eas in numerum cælitum Boëmiæ patronorum reponendas judicarit, res hæc est prolixiùs deducenda, non quod de sanctitate cujusquam putemus esse alterius, quam S. Vniversalis Romanæ Ecclesiæ certum & infallibile ferre iudicium, sed ut salvo, & inviolabiter observato decreto sanctissimi, vrbani Octavi Papæ humanâ historicâ fide P. Adalberti mentem illustremus. Quare quos hic beatos exemplo patris Chanovvsky appellabo, id solum faciam juxta consuetudinem, quà video in Boëmià has à Sanctitate laudatas personas passim Beatorum titulo affici, neque id volo ullum facere præjudicium, ad earundem Canonizationem, cum nec eâ mente hæc scribã, nec mihi constet de omnibus fundamentis, ex quibus hæ appellationes sunt exortæ, adeoquè totum hoc omniaquè alia inhoc opere non tantum S. Ecclesiæ Romanæ judicio submitto, sed etiam insuper Constitutionem urbani S. Plenè observatam

cupio

cupio, ſiquidem ſolâ nudâ fide humanâ hec à meproponuntur.

De Sancto autem Ioanne Nepomuceno ſatis relatum eſt in vita P. Alberti Chanovvsky cap: 1.

Sanctus VVenceslaus, ac Avia ejus S. Ludmilla, & S. Adalbertus, ac S. Procopius in Boëmia ſolennes per annum habent ferias, cultui ſuo Catholico ritu dicatas, & à regno Boëmiæ vniverſo tanquam Patroni cælites publicè coluntur. Sciendum enim eſt gentem Boëmam fuiſſe cultui SS. Suorum patronorum magna pietate ſemper addictam: Vnde hodieque per Archidiæceſim Pragenſem univerſam clerus ſacrum officium feriâ quintâ nullo feſto 9. Lectionum impedita recitare tenetur, ſub ritu ſemiduplicis de SS. Patronis. Tametſi autem magnus eſt numerus horum ſanctorum Boëmiæ Patronorum primarij tamen, notæque præcipùæ antiquitus fuêre ſolum quinque videlicet.

S. VVenceslaus Martyr Boëmiæ quondam dux, Regis titulo ab Ottone 1. Cæſare decoratus, quamvis is humilitatis ſtudio nunquam titulum illum admiſerit.

Sancta

Sancta Ludmilla ejus Avia.

S. \ it.is Martyr gente Lucanus.

S. Adalbertus Martyr Pragensis Episcopus.

S. Procopius Abbas ordinis S. Benedicti.

His à Carolo 4. Cæsare additus est S. Sigismundus Martzr Burgundiæ Rex cuius corpus tunc Pragam est allatum Anno 1395.

Deinde ad Anuum 1930. Nutu pijssimi Ferdinandi II. Imperatoris in Numerum illum cooptatus est S. N orbertus Magdeburgensis Archiepisco pus, Ordinis Præmostratensis Fundator, dum sacræ ejus exviæ Magdeburgo Pragamo advenissent.

Anno demum 1655. instante sacratissimo cæsare Ferdinando III. Saactus Iosephus Filij DEI Nutritius Boemiæ Octavus numero Patronus accessit authoritatis Emminentissim Cardinalis Archiepiscopi Pragensis.

Inter illos autem, qui in secundis numeraotur Boemiæ Sanctis Patronis sunt SS. Cyrillus & Methudius Episcopi Boemiæ Apostoli. S. Ben edictus Patriarcha, S. Georgius, Martyr, Sancti quinque Martyres

tyres Benedictini, comites S. Adalberti in Polonia. Magnâ etiam jam pridem fuêre Boëmis in veneratione S. Ioannes Baptista. S. Catharina, & S. Margarita Virgines & Martyres ac S. Cosmas & Damianus, multique alij, de quibus prolixius agere, non est huius loci.

Vita S. VVenceslai virtutum mirandarum exemplis plenissima in multis exstat codicibus, quamvis nuspiam viderim plenam, & rerum ad eum pertinentium serie perfectam. Corpus ejus Pragæ in Sacello speciali intra Templum Cathedrale colitur, quod quondam in Tumba ex puro auro jacuit, donec tumbam illam sigismundus cæsar inde ablatam inter suos adversùs Hussitas stipendiarios divisisset, qui tamen postea nec cæsari illi fidelem in bello operam præstitêre, & cladibus sunt innumeris ab Hussitis afflicti: Ità DEO factum illud Sigismundi displicuit. Sic & Ioannes Boemiæ Rex sigismudi cæsaris Avus, qui à die ab ejusdem S. VVenceslai sepulcro 12. iustá viri magnitudine statuas Apostolorum argenteas abstulisset, vtriusque oculi usum usque ad mortem amisit. atque ob id *cæcus* dictus est.

De S. Ludmilla, hoc est dignum admiratione, quod terra illa, in qua sacrum ejus corpus primavice in oppido Titir sepultum fuit, nullum aliud, ne quidem innocentis infantuli cadaver intra se patiatur, quin illud sequenti die extra terram ejectum manè in veniant.

De S Adalberto illud advertendum est eum natum in Boëmia circa oppidum Mielnik fuisse Filium Slavvnici Comitis Boëmiæ, Henrici Aucupis Imperatoris (qui paulò antè Boëmos debellârat) ex Filia aut ex sorore Nepotis. Matrem verò S. Adalberti dictam Strzezislavvam fuisse sororem Sancti VVenceslai, pro ut id colligitur ex Christanno Fratre Boleslai Pij ducis Boemiæ Religioso. Ordinis S. Benedicti in Monasterio Brevvnrovviensi vetustissimo manu scripto Boëmiæ Historico in Bibliotheca Capituli Pragensis asservato, ubi S. Adalbertus nepos S. VVenceslai appellatur.

Fuit porro S, Adalbertus in delicijs ottoni 3. Imperatori pro ut refertur in vita ejusdem Sancti, in anti-quis lectionibus Henrici Ca[illegible] ar[illegible] tata, & à Baronio citata, ut proinde non sit mirum gisclam S. Henrici Cæsaris sororem, S. Stephani vngariæ

gariæ Regis uxorem, S. Emerici Matrem fuisse ejus Filiam Spiritualem, teste Iacobo Philippo Bergmensi. Vngaris præterea Christum prædicavit, & S. Stephanum Regem manu propriâ baptizavit, primusque gessit munus Archiepiscopi Strigoniensis, prout etiam Tabulæ Archiepiscoporum Strigoniensium ab Vngaris editæ attestantur: quamvis hæc. Provinciæ Vngaricæ domestica monumenta Baronium latuerint. Deinde verò progressus in Poloniam, ibidem Gnesnensem Archiepiscopatum (Secundus ordine ut fertur) administravit, cui deinde monitu (ut annotavit Barthol. Paprocky) jussuque Angeli in prussiam abeunti successit Tertius Archiepiscopus S. Gaudentius eius Secundùm carnem pariter, & Secundùm Benedictinam Religionem (quam in Monasterio Brevvniovviensi fuerat professus) Frater: quorum amborum corpora Pragam gnesnâ ex Polonia à Bretislao Duce delata esse, frustra negant aliqui, cùm & miracula lucelenta, quæ in translatione illa contigerunt, & documenta alia, id clarè confirment: Nam & VVladislaus Boemiæ Rex Casimiri Poloniæ Regis Filius S. Casimiri frater, S. Adalbertum in quadam visione è

ne è ſepulchro ſuo Pragæ conſurgere, atque cum reliquis Sanctis ex ſuis itidem ſepulchris prodeuntibus vidit procedere ad Sacellum & Sepulchum S. VVenceslai concinentem Antiphonam: *Iſti ſunt ſancti:* Obquod & inſtituit, ut ſacerdotes & cantores ritu ſupplicantium quotidie in metropolitana illa, hoc ipſum ſacellum ac ſepulchrum D. VVenceslai etiam adirent ac per viam exemplo Sanctorum illorum prædictam decantarent Antiphonam. Is quod hodieque obſervatur.

De S. Item gaudentio hoc prodigium annales Boëmiæ recenſent. Anno 1070. Polono cuipiam Cracoviæ gravi carceri inclufo apparuiſſe & eum è carcere miraculosè liberatum monuiſſe, ut Pragam ad ſuum ſepulchrum peregrinaretur, ibique gratias Deo ageret, prout habet hagek, Bohemicæ Hiſtoriæ ſcriptor nõ poſtremus.

Sunt & hæc de S. Adalberto in Boëmia valde memoranda, quod Pagus ſit in diſtrictu Pilnenſi propè Iuſtam nomine Milavecz, in quo quiſquis cornu Paſtoritium inflaverit mox obſurdeſcit: quia cum S. Adalbertus illac iter ageret, & cum ſuis ex via feſſis in campo dormiret, paſtor ex pago illo, dum pecora eduxit ad paſcua acceſſit,

cessit, & cornu ad aures S. Adalberti a populatum petulanter inflavit: ob quod mox ſurditate percuſſus eſt: Atque huius rei memoriam vult DEus etiamnum in illo pago ſuper eſſe. Vnde paſtores in eo loco ſignū paſcuorum non tubâ dant, ſed frequenti & multiplici crepitu flagelli.

Eſt & ad Albim fluvium infra vetero BOleslaviam Pagus alius dictus Neratovvice, cuius incolæ quondam S. Adalbertum cū is naulum, quem pro trajectu ſolveret, nõ haberet, calceis ſpoliàrunt; ob quod eis Sanctus ille pœnam imprecatus, apud DEUM effecit, ut in hodiernam diem eis per annos ſingulos ita annona deficiat, ut nunquam (etiamſi fruges optimè proveniant) tantum habeant panis, quin ante meſſem ſequentem proximam cogantur emere alimenta.

Sancti etiam Adalberti precibus adſcribitur ingens illud divinæ bonitatis erga BOemos privilegium, quod morbo lepræ (ut vulgo circum fertur) non laborent: Ille ſiquidem morbus, cum in vicinisſimis Provincijs, regnet vehementer; in BOemia non modo eſt rarisſimus, verùm etiam ignotus, niſi fortè aliquis alienigena eo infectus huc accedat.

Quinque

Quinque illi Sancti, Adalberti Fratres supra nominati sunt illi ipsi, quorum funeri S. Adalbertus eodem tempore divinitus adfuit, quo eodem ipsissimo Romæ simul coram Pontifice Missam celebravit, atque in hujus tanti miraculi fidem, chirotheca, quâ tanquam Episcopus in celebrando usus est, altera Romæ fuit in altari quando eodem momento temporis alteram idem S. Adalbertus in Boëmia reliquit in loco funeris, prout missis à Papa legatis in Boëmiam, id ipsum est deprehensum, habeturque chirotheca illa etiamnum vetero Boleslavviæ in Boëmia. Corpora horum Fratrum sunt translata ex Arce Libice ubi passi fuerant Anno 980. Pragam, & sepulta in arce ad Sanctum Georgium Anno 1216.

Sanctus Przipislavva soror S. VVenceslai, miraculis antè & post obitum clara (cui etiam revelatum divinitus fuerat, quo loco S. VVenceslai sinistra auricula à Fratre ejus Boleslao amputata esset quærenda) sepulta primum prope Pagum Iablon sub monte Krutina, ubi luminibus cælestibus, angelicisque cantibus corpus eius Deus honoravit, ob quæ gentiles non pauci Christo accesserunt. Post annos de-

inde complures in Templum, quod ipsius honori, ac nomini Christianus quispiam nomine Chotislavv ædificavit, est honorificè translata: Nunc Pragæ in arce prope S. VVenceslaum jacet juxta portam templi Cathedralis.

B Milada seu Mlada à Ioanne Papa dicta Maria, S. VVenceslai ex Fratre Boleslao Sævoneptis; prima ad S. Georgium Pragæ in arce Abbatissa Monialium Ordinis S. Benedicti à Pontifice illo constituta, ab eodem impetravit Ecclesiam Pragensem (quam Ecclesiam ille SS. Viti, ac VVenceslai Martyrum in Bulla appellat) erigi in Episcopalem. Sepulta est in eodem monasterio in sacello S. Annæ, ubi 8. Februa. memoria ejus habetur in privato Sanctimonialium illarum Breviario antiquissimo.

Huius Frater Boëmiæ dux Boleslaus pius cum Sanctitatis opinione vixit & obijt, sepultus in Templo Sancti Georgij, atque super eius monumentum ara erecta est, in qua prout ad sanctorum corpora aliàs solet sacrificium Missæ offertur, fuitque ibi à sæculis pluribus nomen eius cum titulo Beati, sepulchro inscriptum. Hic demum Boemiam plene Christo subjecit, veramque

que pietatem, ubiquè plantavit, morisquè illius inprimis auctor fuit, vt cruces ad sacræ columnæ passim iuxta vias collocarentur.

Sancta Agnes Primislai ottocari primi Regis Boemiæ Filia Ordinis S. Francisci, non solum ab Historicis Boëmicis, sed & ab alijs (inter quos Lucas VVadingus, & Franciscus Paduanus) celebratissima, & miraculis innumeris, vitæquæ sanctitate clarissima, atquè ob virtutem & miraculorum famam, etiam, dum in terris superstes, varijs summorum Pontificum literis ac donis honorata, nec non in vitæ perfectæ instituto à S. Clara magna illa Sanctimonialium Matre per Epistolas confirmata, vulgo Pragæ est notissima utpote cuius sacrum corpus ad Augustissimæ memoriæ Ferdinando III. Tanto fuit labore in Templo S. Francisci (quod passim S. Agnetis nuncupatur) annis aliquot venerationis causa inquisitum. Nata illa fuit circa Annum Domini 1225. Obiit Anno 1265. Anno verò 1253. Fundavit cum Fratre suo VVenceslao monoculo Monasteriū & Hospitale S. Spiritus Pragæ inxta pontem, illudque Crucigeris cum rubea stella tradidit & effecit, ut ea esset sedes supremi Ordinis il-

lius per has provincias Magiſtri. Mater e-
ius erat Conſtantia ſoror Andreæ Regis
vngariæ (qui fuit Pater magnæ illius S.
Elisabethæ Langraviæ Hassiæ) ædificavit-
que Monaſterium virginum Tiſſnovvienſe,
& VVeslovvanenſe in Moravia.

Hujus S. Agnetis Amita ſeu ſoror Patris
eius Ottocari etiam ipſa nomine Agnes fi-
lia VVladislai ſecundi Boëmiæ Regis, Ab-
batiſſa ad S. Georgium Pragæ itidem titu-
lo Beatæ à non nullis decoratur. Hæc à
Fratre ſuo Rege quædam privilegia ſuo
Monaſterio procuravit, ſepulta ibidem in
ſacello S. Annæ propè corpus B. Miladæ,
in quo ſacello ſæpè luminaria conſpici re-
feruntur.

Altera præterea S. Agnetis Amita, eiuſ-
dem VVladislai Regis Filia, & B. Agnetis
& Ottocari primi ſoror eſſe S. Angela Car-
melitana dicitur, cuius vitam in Belgio
nuper ſe Carmelitæ typis vulgaſſe mihi
narraverunt. Obijſſe illa perhibetur Pra-
gæ 6. Iulij. Revelationibus cæleſtibus
inclaruit, quarum librum vnum, alterum
vero de venerabili Sacramento, atque a-
lios plures conſcripſit. Vnde & Imago
eius Monſtrantiam, ut vocant, ſuper librū
tenentis, Pragæ inter alios huius Religioſi
Ordinis

Ordinis sanctos extat in Templo S. Galli in dextero maioris altaris pariete suspensa apud PP. Carmelitanos. Eius tanquam Sanctæ Virginis honorificè meminêre Martinus detrio lib. 4. Disquisitionum magicarum cap. I. Quæst. 3. Sect. 4. Antonius Possevvinus in appendice Tomi primi, Apparatus sacri, & Collectores Bibliothecæ Gesnerianæ.

TERTIA eiusdem S. Agnetis Amita fuisse putatur S. Ephrasia, seu Eurosia virgo & Martyr, illa quæ Regi Hispaniarum nuptura, dum in Pyrenæis montibus in manus Maurorum latronum devenit, in Virginitatis suæ defensione ab illis occubuit miraculis ab obitu clara, & à populis vicinis contra tempestates apud DEUM advocata, solita implorari. Eiusdem meminit Marinæus Hispaniæ Historicus, & Marchantius.

Fuit & Albertus seu Adalbertus VVladislai secundi Boëmiæ Regis Filius adeòq; S. Agnetis Patruus, primùm Mielnicensis in Boemia Præpositus, dein Salisburgensis Archiepiscopus magnæ virtutis Heros, qui multa à Friderico Barbarossa Cæsare ob sedem Apostolicam sub Alexandro III. Papa defensam iniqua tulit, ex sede sua etiam ad

am ad tempus aliquod depulſus Huius Mater erat Filia Sancti Leopoldi Auſtriæ ducis. Fundavit propè Straubingam Cænobium Præmonſtraten ſibus (nam & ipſe hunc ordinem in Cænobio Strahovienſi quondam Pragæ fuerat amplexus) eique fundos in Boëmia circa ſuſiciũ applicuit, quos Monaſterium illud adhuc poſsidet. Sepultus eſt Saliſburgi.

De hujus Fratre VVladislao moraviæ Marchione, fundatore Cænobij velehradenſis Ordinis Ciſtercienſium refert multa Dubravius ſpirantia egregiam Sanctitatem.

Inter Beatos Ordinis Præmonſtratenſis habetur & B. Henricus VVratislai primi Regis Bohemiæ Filius, Cœnobij Strahovienſis Religioſus, Olomucenſis Epiſcopus, miræ Sanctitatis & profuſæ in miſeros largitatis & charitatis: cuius tempore VVenceslaus, Othonis moraviæ Marchionis Filius, Olomucij Templum, honori D. Martyris VVenceslai in arce ſua erexit, ſedemque Epiſcopalem, permittente Innocentio II. Illuc ex Eccleſia S. Petri tranſtulit, duodecim Canonicis ibidem conſtitutis, Beatus autem Henricus Corpus S. Chriſtianæ Templo illi intulit, & eidem Eccleſi-

ana

am S. Mauritij, quæ prius ad Monasterium Præmonstratensium Gradicense pertinuerat, attribuit. Demum varijs pro DEI gloria, sacerdotum cœlibatu, & pace publica perfunctus laboribus, gloriosus Pontifex, virtutibus ac Prophetico Spiritu clarus 25. Iunij Anno. 1657. migravit ad Dominum. Pragæ in Monasterio Strahoviensi honorificè tumulatus.

Sed & Henricus Bretislaus Pragensis, Episcopus Boëmiæ antè Primislaum Ottocarum Regem Interrex, VVladislai secundi Regis ex Henrico Filio nepos, magna etiam virtutum laude multorum Historicorum testimonio floruit.

Lusatiæ Historici memorant pijssimam Heroinam Ludmiliam Filiam VVratislai Boëmiæ Regis, vxorem viperti Marchionis Lusatiæ comitis Groicensis, cũ quo fundavit, ditavitque Monasterium pergaviense ordinis S. Benedicti.

Meminêre insuper Matthias Miechovius, Reuhnerus, Cromerus, pietatis & Religionis Iudithæ alterius eiusdem VVratislai regis Filiæ, vxoris VVladislai Hermanni Poloniæ Regis, è quibus Ste ilibus Parentibus S. gidii Abbatis in Gallia pa-

trocinio ortus est Boleslaus Krzivvoustus Poloniæ Rex.

Nec minus & Abdela Ottonis Misniæ Marchionis Filia Premislai Ottocari primi Regis Boëmiæ vxor huc pertinet, quæ à Marito repudiata Sanctam scribitur vitam inter Conversas Cistercienses egisse VVassenburgi in Misnia. Huius verò Filia ex Premislao itidem dicta Abdela Gerenrhodæ in Saxonia sanctimonialium Abbatissa, eâ sanctitate vixit, ut eam Fabricius in originibus Saxonicis asserat relatam inter Divos.

Abdelę in matrimonio Premislai successit Constantia Andreę Hungariæ Regis soror, S. Elisabethæ Hassiacæ Amita. S. Agnetis Virginis Franciscanæ Mater.

Felix ergo VVladislaus secundus Boëmiæ Rex tot Sanctis prolibus propriaquè etiam pietate in Deum eximus, Nobilissimum montis sion, vulgo in Strahovv Monasterium Præmonstratensium Pragæ ædificavit: Conradum Cæsarem in bello sacro Hierosolymam est comitatus Anno 1147. Demumquè victorijs in Italia adversus Mediolanenses clarissimus, primus Boëmiæ ex dono Friderici Barbarossæ Cæ-

saris

ſaris intulit bicaudem candidum Leonem pro inſigni.

Huius autem Regis ſoror fuit B. Amabilia, Filia VVladislai primi Ducis Boëmiæ, quæ quia Fratri ſuo Theobaldo, à quo originem ducit ſtemma Dominorum Ssvihovvsky adhæſit, & in eius territoriis habitavit, ſolet annumerari illi ſtemmati, & à Dominis Ssvihovvsky ſpecialiter, tanquam cognata colitur. Sepulta eſt Clatoviæ apud Patres Dominicanos in Monaſterio S. Laurentii, quod olim Benedictinis Virginibus ipſa erexerat, & in eo prima munus Abbatiſſæ geſſerat. Suis apud DEUM meritis effeciſſe perhibetur, ut etiam in vita miraculis divinitus illuſtraretur.

Huius ſoror Eliſabètha à quibuſdam titulo Beatæ Decoratur, quæ fuit in Cænobio Duxovienſi Ordinis Præmonſtratenſis Prioriſſa ordine ſecunda, magnis virtutibus illuſtris, & cum opinione ſanctitatis defuncta.

Eiuſdē S. Agnetis Franciſcanæ ex Fratre VVenceslao dicto monoculo Rege Proneptis, Filia Primislai Ottocari ſecundi fuit, B. Cunegundis ſeu Kunhuta, quæ tamē deſponſata Filio Rudolphi I. Cæſaris, ni-

hilominus ortâ inter cæsarem discordiâ ex voluntate sui Patris ingressa est S. Francisci Ordinem, & monasterium cum quatuordecim aliis virginibus, sub disciplinâ Proamitæ suæ S. Agnetis. Sed parente occiso; iussa est nubere Filio Rudolphi itidem Rudolpho Sueviæ Principi, post cuius obitum vidua rediit Pragam ad Monasterium S. Georgii, vbi inter sacras virgines Ordinis S. Benedicti vitam egit sanctissimam multis de Dæmone victoriis, donoquè orationis illustris. Sepulta ibidem in Sacello S. Annæ. Hanc tamen Cunegundem alii dicunt fuisse virginem, sed sororē eius Agnetem fuisse datam cæsaris Filio post cuius obitum illa vidua Piè obierit in Monasterio S. Georgii.

Huius Beatæ Cunegundis Frater & S. Agnetis Pronepos ex Fratre fuit VVenceslaus II. Ottocarus, Filius Primislai Ottocari à Rudolpho Cæsare occisi cognomento *Bonus*, vir miræ in DEUM pietatis, raræquè prorsus virtutis; qui etiam singulari DEI favore tribus Boemiæ, Hungariæ, ac Poloniæ Regnis imperavit, divitijs & gloria ad mortem usque insignis. Tanto SS. Eucharisticam prosequebatur affectu, ut soleret quaduordecim Missæ sacrificiis,

sex

flexis genibus publicè summa cum pietate & reverentia, nec minore cum stupore Procerum, totiusquè Populi admiratione interresse. Fundaturus in Beatissimæ virginis honorem Monasterium Cisterciensibus liberam eis aptionem permisit, vbi vbi in tota Boëmia id locari vellent. Qui cum locum in Boemiæ Regum delicijs, & voluptati destinatum atque ob id Aulam Regiam dictum designassent, obstantibus licet, & frementibus Proceribus locum illum DEO ac DEI paræ donavit, dirutaquè ibi Aulâ suâ Regiâ magnificentissimum, & inter præcipua dignum computari Monasterium erexit, mireque ditavit. Anno deinde 1420. cum Monasterium illud à rabidis Husfitis esset die S. Laurentij redactum in cineres, eius ac Filij itidem VVenceslai cognomento Iuvenis, coram Crucifixo constitutorum effigies, atque alia preterea D. Virginis imago inter flammas permansisse dicuntur illæsæ, quæ duæ Imagines solæ ex amplissimo illo Cænobio supersunt, & à Religiosis inter ruinas illas nunc degentibus servantur: qui etiam ad dicti VVenceslai boni ossa lampadem perpetuam alunt.

His

His adjungi possent VVratislavv. S. VVenceslai Pater, templi ad S. Georgium in Arce Pragensi Fundator, ibidem sepultus, cuius nomen cum titulo Beati est ibidem sepulchro eius iam à sæculis inscriptum, ob virtutis ac fidei Christianæ Zelum, quam in Boëmia, Authore, ac Hortatore S. Methudio propagavit; appositumque est ad monumentum eius altare, ut fieri solet ad corpora Sanctorum & in eo Missæ sacrificium Deo offerri consuevit.

Magnæ etiam fuisse pietatis pronum est suspicari Dubravvkam Boleslai sævi Filiam Miecislao Poloniæ Principi nuptam, quarum nuptiarum occasione Polonia est ad Christum conversa.

Atque ex hac tot virtute illustrium Personarum cognatione apparet, quam veridicè olim magnam S. VVenceslai, ac Adalberti Sanctitatis Gloriâm Spiritu. Sybillino prænunciârit, Boëmiæ Dux lybussa, quamvis Idolorum cultrix dum Anno. 723. Vrbis Pragensis fundamenta locatura, vaticinata est in hac vrbe plantatum iri duas oleas, quarum odor septimum penetraturus esset cælum, gloriosaque facinorum eorum fama totum orbem terrarum implê-

impletura: & alteri quidem earum fore Nomen *Maior Gloria*, alteri vero: *Consolatio bellica.* Id quod in *Sanctos* hosce quadrat optimè. Sanctus siquidem VVenceslaus Boëmis *VVaczlaro.* Dicitur, quod latinis sonat *Maior Gloria.* Sanctus verò Adalbertus ab eisdem Boëmis vocatur *VVotiech* quod Romanâ ling. à *Belli solatium* interpretamur.

Vt vero Personarum harum omnium *Sanctitate* illustrium etiam *Stirpis* coniunctio, & sanguinis affinitas appareat brevem subieci tabulam Genealogicam, in qua vno aspectu series *Sanctorum* divis VVenceslao & Adalberto cognatorum tota simul occurrat.



Podivvin Nobilis aulicus *S.* VVenceslai, secretisquè ab eo adhiberi solitus à pluribus scriptoribus Beatus appellatur. Hic cædi *S.* VVenceslai præsens mox à famulis Fratricidæ Poleslai in silva proxima suspensus ex arbore triennio incorruptus pependit. Sepultus Pragæ in Arce propè *S.* VVenceslaum in eodem cum *S.* Przibislavva monumento:

S. Procopij Abbatis vita sæpius est typis edita. Vix fuit *B*enedictinorum Ordinis Decus, Thaumaturgus; Sed præcipuè in eo enituit imperium in Dæmones, quorum erat terror, & flagellum: nec modo eos ejecit è corporibus locisquè alijs, sed & sub jugum missos arare & quidem etiam petras & saxa compulit, prout hodiequè sulci longissimi profundique per medias petras aratro à Dæmonibus ducti propè Monasterium super flumen *Sazavam* visuntur. Vdalrico Boëmiæ duci aquam è fonte propinatam in poculo ligneo convertit mox in vinum: Poculum verò illud memoriæ causâ servatur hodiequè apud Illustrisimum Comitem victorinum de VVallstein. Cum illi orationi vacanti pica sæpius obstreperet, eam inposterum omnesque

que alias picas proprius ad Monasterium illud accedere vetuit: atquè in hodiernam diem post tot jam sæcula, nulla pica intra spatium germanici Milliaris circa Monasterium illud, nisi eò ab hominibus inferatur, comparet; sed certos habent terminos, ultra quos ulterius versus Monasterium illud non provolant, prout eorum locorum incolis vulgò res est notissima. Monasterio illi post eius mortem intrusus erat à duce Boëmiæ non legitimus Abbas, quem ipse per visum monuit, vt officio decederet; sed cum is monitionem flocci faceret, iterum conspicuus eum baculo è Cænobio expulit. Innocentio Papæ, á quo Abbas Sazavensis impetrare non poterat, ut Sanctus iste canonizaretur, apparuit ipse, seque Canonizari imperavit.

Ernestus I. Boëmiæ Archiepiscopus vulgò satis notus ob elegantissimum illum librum, de B. Virgine conscriptum, *Mariale* nuncupatum nuper Aug: Ferdinandi III. mandato typis Pragæ editum, Glacij sepultus est, ibique ut Sanctus quondam cultus fuisse videtur, nam & nostra ætate vota sua per eum Deo homines offerebant, & eidem anathemata, ac donaria dicabant quin & in pariete vetusto super-

est scriptura, in qua ei titulus Sancti tribuitur. Monumentum eius medio propè in Templo Parochiali Beatissimæ Virgini dicato extat, in quo ipso Templo imago Deiparæ, quæ adhuc in summa ara visitur, faciem ab eo puero quondam averterat, prout ipse de se fusius testatur in Marialis sui appendice. Erexerat autem ipse Glacij Templum aliud, ad quod & Canonicos Regulares Sancti Augustini collocarât, sed ne in Templo illo sæpeliretur antè mortem admonuit, eò quod in Templo illo quondã equi essent stabulaturi. Et verò præsagium firmavit eventus; illa siquidem Ecclesia, cùm Dominante hæresi, Societatis IESU vsibus cessisset, fuit à rebellibus hæreticis, Anno 1618. Occupata, expulsisque inde Societatis IESU Patribus conversa in stabulum, ac demum vna cum Collegio penitùs diruta & solo adæquata. Sed & mirabilis est alia eiusdẽ Ernesti prædictio, tunc nimirum Boëmiæ magnas calamitates superventuras, quando lapidea eius statua sepulchro ipsius imposita rumpi inciperet. Vidimus autem eam rumpi cæpisse ante nupera bella Germanica, quibus initium dedit hæreticorum in Boëmia rebellio:

lio: ruptaque eſt deinde ſæpius in fruſta permulta, ſed modo tam admirabili, ut quaſi framea ictu uno per medium ſecta aliquod in locis videatur, quo modo lapis nullus rumpi ſolet.

De vita eius refert Hagek ad Annũ 1364: Quo ſcilicet obierat, eum à die, quâ in Archiepiſcopum electus eſt, Anno 1340. omnes ſuos defectus quotidie in libello annotâſſe, ut eos emendaret. Eleëmoſynas dabat largisſimas, idque non ſolùm publicè, ſed & in occulto. Singulis Annis in Paraſceve minimum ex 70. Voluminibus panni veſtes pauperibus paratas diſtribuebat. Fame urgente egenis per totam Boëmiam ſuccurrebat. Ea, quæ adhuc paganos ritus, ſapiebant, penitus à Tribunalibus Boëmiæ ſuſtulit. Imagines Beatisſimæ Virginis curabat pasſim etiam in parietibus ac feneſtris, & ubique ſe coram illa abiectis in terram omnibus Archiepiſcopalibus ornamentis, flectentem depingi. Cultum DEI, & officiorum Eccleſiaſticorum dignitatem miris modis promovit, librariâ ſupellectile, annuiſque cenſibus plurimis comparatis.

B. Hroznata comitis Zezemani & Dobreslavvæ Filius de ſtemmate Domino-

rum de VVrtby, & de Guttensten (qui originem referunt ad stirpem S. Ludmillæ S. VVenceslai Aviæ) Fundator monasterii Teplensis ordinis Præmonstratensium, eiusdemquè Religiosus, & ob id Martyr, in eodem monasterio sepultus est. Habitum Religionis illius Romæ accepit ex manibus ipsiusmet Pontificis. In Boëmia est nunc non ignotus, cuius etiam chaleographica effigies, cum radio & titulo Beati Martyris edita à Patribus Præmonstratensibus, in manibus est. Illustrissima Domina Anna Maria nata Sternbergica primùm Domino Vdalrico de Lobkovict, tum comiti de Rotalrupta; quâdam vice cùm nomen, laudesquè beati huius audiret in risum effusa cæpit eum utpotè sibi ignotam, contemnere: at ecce mox eius, eâ formâ quâ Sancti solent sculpi imaginem à se nunquã ante prorsus visam iu suo libello precatorio, non sine admiratione invenit, cum adverteret iconem illam à nullo homine potuisse libello illi tam citò inseri, vnde & Beati huius apud DEUM merita cæpit imposterum æstimare.

Soror eius B. VVoyslavva Ottonis Cracoviensis ducis uxor, dein vidua suscepit ordinem

ordinem Præmonstrateusium, Fundavit Cænobiam virginũ eiusdem Ordinis Chotiessovvij, vbi sepulta est. Prima in eo Cœnobio fuêre Virgines huius ipsius VVoyslavvæ sorores tres, Beatrix, Bolislavva, & Iuditha. A quibusdam appellatur *S*vvogslarea idcò, ut suspicor, quòd sæpè in libris præfixa eius nomini literæ S. quæ Sanctam significabat, tandem irrepserit in ipsum nomen, ut pro Svvoyslavva *S*inoyslavva diceretur.

Beata Odislavva, stemmate Berkiana, septennis fugerat in Eremum soli DEo vacatura, ubi vitam egit asperrimam in cilicio, ieiunio, humi cubationibus, & super dura saxa ad sanguinis effusionem flexionibus. Coacta nubere, immitem nacta *Maritum*, ipsa mitissima, Czienkonem de VVartenberg (quantum ex veteribus monumentis deprehendi potuit) virum ea tempestate potentem. In coniugio Mater pauperum, pro quibus necessaria nebat manu propriâ, pedes eorum lavabat, & ulcera lingendo miraculosè sanabat. Demũ permissu asperrimi sui Mariti Religionem Prædicatorum ingressa, obedientiæ fuit studiosissima: lapides ad ædificium Monasterij, pro quo sumptum ipsa præbuit,

mani-

manibus proprijs portabat, aliosque subibat labores duros. Mortis præscia, sepulchrum sibi præparavit in Iablon, ubi pòst obitum miraculis inclaruit, maritoque mæsto apparuit in veste rubra, ex qua frustum apud eum solatij causa pro cælesti dono reliquit. Habetur Iablonæ in veneratione. Vixit circa Annum Domini 1240

De S. Gerlaco alij sentiunt, prius eius corpus fuisse in Monasterio Milivvsko, vbi is Præpositus per annos 28. Vixit Spiritu Prophetico & miraculis ante & post obitum illustris; ac inde translatum in Zvvikovv Nunc esse dicitur apud Celsissimum Principem VVenceslaum de Lobkovvicz. Obijt 7. Maij. Annum autem Mortis eius non potui rescire.

His ad huc annumerari possunt B. Andreas Pragensis Episcopùs pro libertate Ecclesiastica plurima iniquissima sub dominatu Primislai Ottocari I. Perpessus, atque ob id etiam exemplo S. Adalberti Romam profectus, miraculis post mortem clarus. Huius caput Anno 1369. Fuit in sacello S. VVenceslai Pragæ impositum in murum super S. Crucis Altare in cornu,

ybi

vbi Crux aurea picta est, quia propter facta ab eius obitum miracula, pro sancto cultus fuit, De hoc ut sancto, meminit Paulus Zidek in suo codice pro Catholicæ fidei defensione ad Regem Georgium Podiebradium circa Annũ 1460, Scripto.

Beatus Chulmannus Ordinis Eremitarũ S. Augustini in Monasterio Pivvonka seu Pivvonia in Boëmia sepultus, ponitur inter Beatos Confessores in arbore ordinis illius, refer turque à pluribus ex ordine Historicis. De eo habet Encomiasticum Augustinianum litera C. Sequentia. *S. Chulmannus Boëmus Eremita vir singularis Sanctitatis & miraculorum famâ vigens in æde sacra Ioanni Baptistæ Monasterij nostri Pivvonensis in Boëmia humiliter conditus Piè colitur & devotissimè invocatur, vbi ut Eremita ex nostris sepultus est.* Ædes illa divo Ioanni sacra, est sacellum ad pedem rupis adjunctum Monasterio ipsi proximum, in quo B. Chulmanni monumentum visitur jam olim ante hominum nostrorum memoriam ligneis oratibus venerationis ergò circumseptum. Memorant autem Pivonkæ B. Chulmannum in silvis illis, alijs cum duobus, (sed an sanguine, an solùm religione, non est

compertum) Fratribus vitam Anahoreticam duxisse. quorum nomina vetustate exciderunt.

Eorum alter iacet in fundis Tinhorssovienſibus in ſacello quodam Divæ Barbaræ; alterius verò tumulus cęlo proſtat operto, vnius & dimidiæ horæ itinere à Cænobio Pivoniæ iuxta Pagum quedam dictum Danavva, Fedſita loco illi eſt columma è muro erècta, vbi ruricolæ imagines varias ſuſpendunt, totuſquè locus in longum paſſus fortè 6. in latum 4. ligneâ ſepec laudítur, quo ferijs ſecundis Paſchalibus & Pentecoſtes populus ruralis Beatum ibi ſepultum precibus alijſque modis veneraturus confluit, atque in vicem muneris, virgam vnam ſinguli afferunt, quas in ſalcem colligatas ſuper tumulum illum erectas collocant, prioribus vetuſtioribus indè amotis. Tempus quo hi viri religioſi vixêre, manſit incognitum, quamvis conjectura ſit eos circa Annum Domini 1000. aut non multo poſt vixiſſe.

Monumenta Ordinis Præmonſtratenſium referunt B. Caſtulum Abbatem ſilvenſis ſeu Zielıvenſis in Boëmia Cænobij circa Annum Domini 1290. Virtutibus & miraculis ante & poſt obitum clarum cuius

ſacrum corpus eo in cœnobio magna habetur in veneratione extatque ibidem fons accurrentium hominum frequenti clarus, qui, Sancti huius viri meritis mira in ſalutem mortalium operatur.]

CAPUT IV.

Sancti Patroni Boëmiæ externi:

SS. Vitus, Sigiſmuntus Norbertus, Ivvarus, Guntherus, Herlacus. Quinque Spirituales fratres, S. Adalberti Monachi Itali, quorum nomina Benedictus, Matthæus, Iſaac, Ioannes, Chriſtianus occiſi ſecundum Hagek Hiſtoricum Boëmiæ Anno 1004. translati verò ex Polonia in Boëmiam Anno 1039.

Huc ſpectant omnes alij quorum reliquias habet Boëmia.

S. Guntherus auream, ut vocant viam, id eſt anguſtam ſemitam in Boëmiam primus invenit, ut teſtis eſt noſter Raderus. Illic hoc Anno 1639. In æſtate quidam ſanatus eſt ex gravi morbo. Vocabatur is Ioannes Kacirek famulus Domini Ioannis Thomek? fuitque per podagram officio & vſu pedum & manuum omninò privatus,

Sed

Sed spe & voto ad S. Guntherum concepto, alienis manibus desperatâ iam valetudine ad aquas Guntherianas deportatus cum summa fiducia corpus lavit, & sanitatem integrè recepit.

Circa civitatem *Susicensé*, eundo ad fines Boëmiæ & Bavariæ propè oppidum Hartmanicz, est memoria eiusdem S. Guntheri, celebribus frequentata peregrinationibus. Is *Sanctus vir* in sæculo Nobilis cum esset, *sæculum deservit, & in sancta* paupertate, *pauperem Christum* secutus, primum Monachi vitam egit: deinde in densas Boëmiæ silvas cum licentia & benedictione superiorum suorum penetravit, & vitam eremiticam instituit. Est lapis in loco speluncæ, quam sibi exstruxerat, vbi vestigia manuum & genuum, eò quod in eo flectere solitus fuerit, expressa sunt. Post multos autem annos Bretislaus Dux Boëmiæ, cervum venatu insecutus, hunc sanctum reperit. Corpus eius iam defuncti duo feri equi placidè ad Monasterium Brevvnovviense devexerunt, ubi sepultus est. Obijt Anno 1046. die 9. Octobris, cuius sanctitatem Deus multis miraculis declaravit. In vita eius nuper Boëmicè edita

edita non nulla referuntur. Fiebant illa miracula in prædicto Monasterio à temporibus Bretislai Ducis, adusquè Gubernationem Boemiæ, VVenceslai Filij Caroli IV. Sed in eo loco ubi duxit vitam eremiticam, etiam nostris temporibus fiebant sanitates per aquam effluentem per locum speluncæ; ubi nunc extat sacellum. Videtur autem S. Guntherus hanc aquam sibi à Deo impetrâsse. Est illa in monte & à sua scaturigine statim copiosè decurrit: sed ubi aliquantulum profluxit, in terram, mox absorbetur; Conati sunt oppidani Hartmanicenses illam aquam in Oppidum deducere, quod vix distat inde medio quadrante milliaris; sed hoc nunquam efficere potuerant. Dicitur autem aliquando cuiusdam viri equus cæcus circa prædictam aquam gramen carpsisse, & cùm hausisset aquam, illuminatus fuit: quâ famâ sparsâ aliquot cæci ibidem oculos laverunt, & lumen receperunt; unde etiam nunc plures infirmi eò confluunt, atquè per merita & intercessionem S. Guntheri loti corpus illâ aquâ, sanitatem recipiunt, & locum olim dictum Brzeznicz nunc vocant *apud bonam àquam.*

NOTÆ.

[S. Vitus puer sub Diocletiano in Italia Martyr depingi solet, cum Pomo Imperatorio in manu, quia illud circa sacrum eius corpus est adversum, & ab Historicis, atque etiam à Baronio notatum, quod quãcunque id in Provinciam deferatur, mox & Dignitas Imperatoria, in Provinciæ illius Principes transmigret, adeò, ut quàm diu sacræ hæ reliquiæ, erant in Italia, Cæsarea dignitas ibidem remanserit; eis verò translatis in Galliam, Reges Galliæ facti sint per Carolum Magnum Cæsares: eisdem verò rursum translatis in Germaniam Honor Imperij transiverit quoque in Germanos; ac demum sacro hoc corpore per Carolum 4. Boëmiæ illato, Augusti Nominis Maiestas in Reges Boëmiæ sit delata, apud quos hodieque perseverat.

Solet præterea S. Vito Gallus Gallinaceus appingi, cuius rei origo à Sancto VVenceslao profluxit, qui Boemos suos à cultu Martis (quem suo *Idiomate* vitkum appellabant) aversurus, impetravit ab Ottone I. Cæsare brachium S. Viti, ut honores vitko impiè exhiberi solitos, plebs Boë-

ma

ma tanto facilius ad ſanctum Idolo illi propè cognominem aſſueſceret, transferre. Magnificâ ergo DIVO Baſilica Pragæ erectâ, fecit ad eius corpus die eidem Feſtâ, quæ eſt 15. *Iunij* ab omnibus offerri gallos gallinaceos colore atros quos priùs Marti ſuo offerebant: quæ conſuetudo à tot jam ſeculis, necdum apud *Boëmos* plenè exolevit. Quia verò eidem Idolo VVitko eiusmodi Gallum ātrum appingebant, factum quoque eſt, ut impoſterum Gallus ille ad S. Viti effigiem addi inciperet.

S. Sigiſmundi Burgundiæ Regis Martyris patrocinium ſolebat quondam ſpecialiterà febricitantibus implorari.

S. Norbertus, quam primum Magdeburgo, huc fuit translatus, mox graviſſima illa Magdeburgicæ vrbis ruina eſt conſecuta, ut Civitatis illius hæreſi infectæ ſalutem apud DEUM hactenus in ſolo adhuc Sancti huius Archiepiſcopus patronico conſtit eſſe apparuerit.

De Sancto Ivano Eremita in Boëmia peregrinationibus ad ſacrum eius corpus celeberrimo illud tamen paſſim ignoratur, illum prius quàm in eo loco, in quo obijt, habitâſſet, alium quendam ſpecum tran Muſam flumen vno milliari ab hoc diſſitu-ꝫ

se opè Arcem Carlstein incoluisse, ex quo cum petulantia nautarum per Misam ligna vectantium exturbavit, quorum ut pote tunc adhuc gentilium blasphemias in DEum ultra tolerare indignatus, domicilium mutavit. Antrum illud Carlsteinensibus est notissimum.

His accenienda est Sancta Benigna, una, ut creditur, ex virginibus Martyribus S. Ursulæ comitibus Boëmis dicta *Dobrotiwa*, cuius corpus in Boëmiam afferri fecit Anno 1326. Vdalricus Ecclesiæ Pragensis Decanus, Guilielmi de VValdek Filius: sed unde allatum sit nescitur. Deposita est in monasterium Beatissimæ virginis, dicto in VVerder, sub Castro VValdek pars præcipua est Pilinæ, in superiorem magni Altaris partem honorificè reposita.

Sacra præterea Divorum corpora sunt in Boëmia plurima: ut in Arce Carstein, corpora Sancti Palmatij Martyris Trevirensium Consulis & Sanctæ Euphemiæ virginis & Martyris.

Pragæ ad Sanctum Nicolaum in Parva parte corpus S. Crispi Presbyteri & Martyris.

Ibidem

Ibidem in antiqua vrbe in Templo Salvatoris prope Pontem, corpora SS. Nomini & Iustæ Martyrum. Et Caput S. Ursulæ Virginis & Martyris, ducis undecim millium virginum, quod Carolus VI. Cæsar [illegible] donaverat Monasterio Orbinensi [illegible], prout literæ authenticæ testabantur quæ apud Sacrū illud Caput sunt repertæ, quando ex Monasterio illo fuit Pragam translatum.

Nova domi corpus S. Hippolyti Martyris.

Giczinij corpus Sanctæ secundinæ virginis & Martyris.

Cuttenbergæ corpus Sancto Basilij Martyris & Sanctæ Cæsareæ virginis & Martyris.

Budvicij corpus Sancti Aurentij Martyris.

Sunt præterea in Boëmia, ac præsertim in Metropolitana Pragensi Ecclesia præclarissimæ sacræ reliquiæ, exquibus aliquę asservātur in sacrario, seu sacristia, aliquæ verò in sacello Sancti VVenceslai Martyris. Inter eas quidem quæ in sacristia sunt, inveniuntur aliquot Sanctæ Crucis partès & inter illas quædam, in qua est foramen clavi, quot ut fertur, Sanctissimus Sal-

vatoris nostri pes fuit affixus: quod foramen sanguine Christi Domini est purpureum.

De eodem Filij DEI Sanguine varijs in lineorum partibus ibidem habetur multum, præsertim in vno frustro aureæ Cruci magnæ incluso quod vrbanus V. Papa Carolo IV Cæsari donavit.

Frusta item flagellorum, spongiæ, & clavorumi.

Frustum item Iudacij, quo caput Salvatoris nostri in sepulchro fuit obvolutum.

Frustum lintei, quo Christus D. fuit præcinctus.

Particula rauci palmæ, quem Christus Dominus die Palmarũ manu tulisse perhibetur.

Magna pars lintei illius mensalis, seu mappæ, qua tecta fuit mensa, dum Christus Dominus ultimam cænam manducaret, adeoquè super quam Venerabile sacramentum instituisse creditur.

Pars mensæ, in qua eandem ultimam cænam sumpsit.

Aculei duo ex spinea Corona, quâ Christus Dominus Coronatus fuit.

Mamillæ S. Annæ. Aviæ Christi Domini Matris Beatissimæ virginis.

Dimi-

Dimidium ferè Evangelij S. Marci autographum latinum, ejusdem Sancti Evangelistæ manu propriâ scriptum sedecim folijs membraneis. Magnitudine folium ordinariæ chartæ paullum excedentibus comprehensum, incipiendo ab eis capitis 12. versus 21. verbis: *Et secundus accepit eã, & mortuus est, & nec iste reliquit semen. &c.*

Caput S. Bartholomæi Apostoli.

Manus vnius ex SS. Innocentibus ab Herode occisis.

Os S. Stephani Protemartyris

Os S. Sebastiani Martyris.

Brachium S. Georgij Martyris.

Brachium S, Euphemiæ.

Caput S. Benedicti Eremitæ & Martyris.

Galea, Gladius; & Lorica S. VVenceslai Martyris Bohemiæ Regis.

Casula seu Planea, Infula, duo annuli duæ Cruces, vnum granum ex Rosario, Reliquiaria Theca, & pecten ligneus. S. Adalberti Episcopi Pragensis & Martyris,

Et plures aliæ.

Illarum verò, quæ in sacello Sancti VVenceslai asservantur, catalogus fuit nuper impressus hoc ordine.]

D. O. M. A.

BRevis consignatio SS. Reliquiarum olim à Carolo IV. magnis impensis comparatarum, atquè in sacello Coronæ Regiæ in Arce Carlssteinensi, conservatarum, quæ Anno 1645. Dominicâ inf. Oct: Ass. B. M. V. ex miro in vrbe Pragensi ad Metropolitanam S. Viti, ad mandatum Augustiss: Ferdinandi 3. Ritu & pompâ solemni translatæ sunt.

Reliquiæ Christi Domini.

1. Crux de ligno S. Crucis.
2. Peplum B Virginis tribus guttis sanguinis Christi sub Cruce tinctum.

Reliquiæ B. M. V.

De lacte Beatissmæ Virginis.

Reliquiæ Præcursoris Domini.

S. Ioannis Bapiistæ aliquod partes.

Reliquæ SS. Apostolorum & Evangelistarum.

S. Petri Apostoli pars Maxillæ
S. Pauli

Andreas

S. Andreæ
S. Iacobi Majoris
S. Thomæ
S. Iacobi Minoris
S. Philippi caput integrum
S. Bartholomæi
S. Matthæi Apost. & Evange. os magnum.
S. Simonis pars capitis
S Iudæ Thaddæi
S. Matthiæ
S. Lucæ pars brachij
S. Marci
S. Stephani Protom:

Reliquiæ SS. Patronorum Regni.

S. Adalberti Episcopi & Martyris
S. VVenceslai sanguis & Lipiana.
S. Viti Martyris duo ossa brachiorum & pars capitis.
S. Sigismundi Regis Burgund:
S. Procopij Abb. pars humeri.

Reliquiæ SS. Martyrum Episcoporum.

S. Clementis P. & Martyris mandibula.

D S[illegible] Vrbani

S. Vrbani P. & Martyris dens.
S. Marcelli P. & Martyris.
S. Martini P. & Martyris.
S. Stephani P. & Martyris.
S. Callixti P. & M. pars capitis.
S. Fab. & Sebaſt: M M. pars capi:
S. Coſmæ & Damiani pars capi:
S. Dionyſi Epiſ. & M. caput.
S. Stanislai Epiſ. & M. dens.
S. Thomæ Epiſco. & M.
S, Bonifacij Epiſ. Mogunt: & M. Apoſt. Germ.
S. Leodegarij Epiſ. & M. caput.
S. Timothei Epiſ. & M caput.
S. Eraſmi Epiſcopi & Martyris,

Reliquiæ aliorum SS. Martyrum.

S. Pancratij.
S. Valentini pars brachij.
S. Vincentij.
S Victoris.
S. Euſtachij.
S. Felicis.
S. Hermetis pars capitis.
S. Chryſogoni
Mauritij dens.

Mer-

S. *Mercurij*.
S. Longini Equ. pars brachij.
S. Gereonis brachium
S. Gangolphi
S. Florentij pars brachij
S. Fortunati
S. Albani
S. Abundantis
S. Florentiani
S. Malusii caput
S. Benesii
S. Marani
S. Innorij
S. Achatij brachium
S. Theodori
S. Hippolyti
S. Romani caput
S. Colmani M. & Patroni Austriæ
S. Reinoldi Ducis Albani II. brachia
S. Christophori pollex
S Centobaldi Romani
S. Hermocalli
S. Osvvaldi Regis Angliæ M.
SS. MM. 5. Fratrum Ordin. S. Benedicti.
SS. Nicasii, Pij, & Casii MM.
SS. X. millium Martyrum.

Reli-

Reliquiæ SS. Confessorum.

S. SS. Trium Regum.
S. Gregorij P. & Eccl. Docto:
S. Ambrosii Episc. & Eccl. Doct.
S. Augustini Episc. & Eccl. Doct.
S. Hieronymi Eccl. Doct.
S. Leonis Papæ & Conf.
S. Ioannis Chrysost: Episc.
S. Basilij Magni caput.
S. Martini, Episcopi.
S. Nicolai Epi. digitus & partes.
S. Lazari Epi. & Fratris S. Magdalenæ,
S. Hermagoræ 1. Patriarc. Aquileiensis.
S. Remigij Episc.
S. Medardi Episc.
S. Burchardi Episc Herbipol. maxilla, duo digiti, pars humeri.
S. Vdalrici Episc August:
S. Servatij Episcopi
S. VVilibaldi Episcopi.
S. Rudperti Episc. pars brachij.
S. Hilarij Episcopi.
S. Benedicti Abba.
S. Florini Presb & Conf Confluentiæ.
S. Sturmij 1. Abb. Fuldensis.

Caro-

S. Caroli magni os grande
S. Roberti Comitis brachium,
S. Armandi Confessoris.
S. VVandalli Confessoris
S. Eleaij Confessoris.
S. Antonij Eremitæ.

Reliquiæ SS. Virginum, Martyrum, Viduarum.

S. *Mariæ Magdalenæ*
S. Agathæ virginis & *M.*
S. Luciæ virginus & M.
S. Agnetis virginis & M.
S. *Margarethæ* virginis & M. dens.
S. Euphemiæ virginis & M.
S. Sapientiæ virginis & M. caput, & totum corpus.
S. Iustinę virginis & M. caput & totum corpus.
S. Rosæ virginis & M. caput.
S. Susannæ virginis & M. caput.
S. Christinæ virginis & M.
S. Antoniæ virginis & M. cap
S. Reginæ virgines & M. caput
S. Gertrudis virginis
S. Catharinæ virginis
S. Othiliæ virginis
S. Apolloniæ virginis & M.

S. Barbaræ virginis & M.
S. Dorotheæ virginis & M.
S. VValpurgis virginis
S. Secundæ virginis
S. Afræ M. caput & alia lipſana
S. Dignæ M. ſociæ S. Afræ
S. Iulianæ Martyris
S. Domicellæ
S. Benignæ maxilla
S. Chryſantiæ
S. Abundantiæ
S. Vpſaniæ
S. Cæciliæ vir: & M.
S. Eliſabethæ aliquot magnæ partes.
S. Brigittæ
S. Ex Soc. S. Vrſulæ 4. Capita.

Præterea adſunt plurimæ aliæ Reliquię Sanctorum aliorum, quorum nomina vel deleta, vel deperdita.

Item varia olea in lagenulis diverſis jam exſiccata ut S. Catharinæ. S. Nicolai. &c.

Reperiuntur itidem cum his reliquis

Res ſacra.
Chriſti Domini.

1. Facies Chriſti Domini, juſſu Caroli quarti tranſpicta ex peplo Sanctæ Veronicæ.

2. De

2. De loco Nativitatis Christi.
3. De loco vbi sanguinem sudavit.
4. Lapis ex monte Calvariæ vbi steterat Crux Christi.
5. De Sepulchro Domini.
6. De loco vnde Christus ascendit in Cælum.

Res sacra B. V.

1. Peplum B. V.
2. De vestibus B. V.
3. Aliquot fila de cingulo B. V.
4. Pars cerei, qui arsit ad obitum B. V.

Res sacra antiqui Testamenti.

1. Pars virgæ Mòysis
2. Pars virgæ Aaronis quæ floruit
3. Crux ex ligno Arcæ Fæderis.

Res sacra Sanctorum.

1. Sancti VVenceslai poculum ligneum,
2. eiusdem pars loricæ cum argenteis bullis
3. Collare, & vestes eiusdem S. VVenceslai
4. S. Georgij vexillum
5. De veste SS. MM. quinque Fratrum Ordi: S. Benedicti
6. S. Gangolphi pars Loricæ

7. S. Ma-

7. S. Materni Episcopi crux.
8. De Alba S. Primi Abbatis.
9. De Pallio S. Claræ.
10 De Peplo S. Benignæ.
11. Materia rubra, cum aureis flosculis, ex altera parte characteres vix legibiles inscriptos habens.
12 Corallium ramosum magnum ex thesauro Caroli quarti.
13. Duo cornua eburnea, in catenis ferreris S. Rulandi *Burgundiæ* Ducis.

Demum variæ literæ authenticæ de veritate harum Reliquiarum, & alia his similia de quibus Hagek á fol. 475.

[Nemini autem incredibile videatur tot Pragę asservari reliquias ex antiquo etiam testamento, quia cùm res ejusmodi sacras magnòque in pretio, à Iudæis habitas, Titus post everã Ierosolymã transtulisset Romã, inde postea nonnullæ delatæ sunt Constantinopolim ad Cæsarei thesauri ornamentum inde alio sparsa unde tandem etiam Carolus IV. eas partim pretio, partim precibus, magno labore & industr â & inte rdum vi non armis Pragam acquisivit.]

In

In eadem autem Metropolitana Pragensi super sepulchrum Beati Joannis Nepomuceni, stat basis vnius candelabri ex templo Salomonis, quam cum reliquis è Mediolano occupato ipolijs huc transtulit VVladislaus secundus Boëmiæ Rex, quando etiam imaginem Dei paræ à sancto Luca depictam (quæ mediolanum, quondam Constantinopoli fuerat advecta) attulit, quæ nunc Brunæ servatur in Mòravia in Monasterio Sancti Thomæ Ordinis Sancti Augustini.

Alia ab eodem Sancto picta Praga in sacristia etiam asservatur.

Habuit etiam inclyta Familia Rosensium Crucem benè magnam è ligno S. Crucis concinnatam, cuipiam Heroum Rosensium quondam à Rege Galliæ ob ejus in Galliam merita donatam, quæ nunc apud Illustrissimos Lobkovicios asservatur: qui etiam habent bene magnam partem rami vnius è spinea Christi D. Corona.

Olim verò fuêre longè plura in Boëmia præsertim à Carolo. IIII. illata sanctorum corpora, quæ Tartareus Zisko Hussitarum furor vel exussit, vel abjecit, ac pessum dedit.

In his fuit & corpus S. Longini militis, dein Episcopi & Martyris, qui Domini latus lanceâ aperuisse putatur. Hoc sacrum corpus ex Ecclesia VVissegradensi Pragenses raptum de rupe præcipitarunt in præterfluentem Moldavvam, unà cum lapideo, in quo depositum erat, Sarcophago: Sed vtrumque mirabiliter aquis supernatabat: ut prodigio hoc moti senatores Neopragens illud Curiæ suæ intulerant. Sed cùm ob id Curia aliquoties passa esset divinitùs incendium, graviora hæretici veriti sacras has exuvias Religiosis quibusdam donaverunt, qui illas secum in Moraviam asportârunt (teste horum omnium tunc oculato Paulo Zidek S. Theologiæ Doctore in suis manu scriptis) inde verò, quò delatum sit hactenus ignoratur. Sarcophagus ille lapideus à plebe hæretica adhibitus est, ut pisces in eo venales proponerentur. Sed cum pisces omnes, quotquot impositi essent, statim emorerentur in VVissegrad restitutus est, atque in ea, quæ nunc ibi diminuta est Ecclesia, hodieque asservatur.

Corpus Sancti Clementis Papæ à S. Cyrillo huc allatum toto anno Pragæ requievit.

Corpus

Corpus S. Callixt Papæ Imperatrix Anna, Matthiæ Cæsaris vxor è Boëmia in Firolim abstulit, quòd tam pretioso thesauro Boëmos hæreticos (quos ad Ecclesiam redituros desperaverat) putaret indignos.

S. Ignatij Episcopi & Martyris Caput ex Boëmia Romam translatum ibi nunc colitur in Templo domus Professorum Societatis IESV.

Plurimæ etiam & præclaræ Reliquiæ ab VVenceslao Pigro Norimbergensibus appignoratę illic non pio quidem sed reverentiali metu servantur, utpote in Civitate Acatholica vtique gnarâ Fati Magdeburgensium.

De Sancto Gunthero habet Raderus pręclara, sed & vita eius extat apud Henricum Canisium in antiquis Lectionibus, quam quia vulgo ignota est, hic judicavi apponendam.

VITA SANCTI GVNTHERI.

Turingi.

SANCTI STEPHANI REGIS VNGARORVM cognati, Monachi Altensis; demum EREMITÆ in Silva Boëmica in Rinchnach, *ubi* 37. Annis exactis mortuus est præsente Bretislao duce Boëmiæ. Quem S. GVNTHERVS è fonte Baptismi susceperat.

Auctore.

Anonymo

Qui S. GVNTHERO per quam familiariter notus Fuit.

Nunc primum ex codice M. S. edita & notis Illustrata ab Henrico Canisio Noviomago Iurisconsulto.



VITA SANCTI GVNTHERI



REgnante Pijssimo Imperatore Henrico huius nominis secundo cùm B. Godehardus Althahense cœnobium regeret fuit in Turingia partibus quidam vir nobilis, dignitate & meritis illustris, nomine Guntherus qui pro delictis iuventutis ingemiscens, & consideratâ diligentiùs actuum suorum qualitate faciem Domini in confessione præveniens. Hersveldiam, ad eundem Godehardum Abbatem noviter eidem Ecclesiæ ab ipso Imperatore præstitutum, dignè ut postea patuit, pœnitendo accessit, atque omne secretum cordis ac voluntatis suæ fun-

dıtus

ditus aperuit. Quem Abbas iuste in DEO immoratus, blanda consolatione, & condigna etiam provisione poenitentem suscepit, & ad Monachicam usque Professionem saluberrima sui commonitione Domino cooperante convertit. Qui propriæ diffidens imbecillitati corporis & animi ad penitus abdicanda quæcunque sunt sæculi, multiplicem suæ hæreditatis proprietatem quam acceperat à Progenitoribus, *S.* VVigberto, cum consensu hæredum suorum, firma traditione, totam delegavit, sub testibus tamen primitus testamento pactus, ut Monachus factus, Monasteriũ Gelinge dicitur victus & vestitus gratià ipse possideret, ac Fratribus Christo illic servientibus secum inde necessaria provideret. Sanctus Abbas prudenti pertractans consilia huiusmodi noviter converso talem pactionem in via mandatorum DEI maximo futurum esse periculo, & plus inde per dies animæ nasci dispendium, quàm corporis, ut putabat subsidium, interim illum provida mente ab incepto suspendit, & laico habitu adhuc usum ad Althanense Monasterium secum perduxit. Ibidem vir prudens prædictus Guntherus corde tenus compunctus, petiit ab Abbate, ut ante professio-

fessionem liceret sibi Romam petere, & Apostolorum Christi, & aliorum Sanctorum intercessionem pro transactę vitæ devijs, & pro novæ ingressu quærere. Quo permittente & rediit, tandemque ante altare S. Mauritij cingulum deponens, caput & barbam totondit, & facta de more petitione susceptus, ac aliquamdiu regulariter probatus ab eodem Pastore Monasticæ vitæ habitum est adeptus. Verum post votum Professionis non immemor suæ, quam præscripsimus pactionis, adiens Abbatem Godehardum, petijt licentiam Patriam repetendi, & locum, quem pepigerat, iuxta conditionem incolendi. Quod pius Pater Godehardus interim consensit, nolens eum obstinata contradictione ab affectu quamvis iniquo prohibere, donec ratione dictante illicita cupientem animũ paulatim posset mitigare. Venienti igitur ad locum Gelinge dictum & disponenti necessitates ibidem commanentium ex occultis tentationibus tentatoris, & insidijs, DEO, ut certè credimus, ad exemplum B. Iob, permittente, multa & varia ei occurrerunt incommoda, pro quibus dum ille, scilicet antea paupertatis ac laboris insolens ad Abbatem sæpius quæritando

tando confugeret, eiusque pro talibus consilium & auxilium anxiè perquireret, sollicitus Pater fluctuationem mentis eius profunde prospiciens, & subsecuturam fore cordis mutabilitatem vehementer pertimescens, blandâ interdum consolatione, & suavi quadam commonitione malitiam cordis eius mitigabat. Interdum verò iuxta Apostolum, arguendo, obsecrando, increpando opportunè & importunè nutantem animum eius castigans ad viam salutis eum reducere studuit, qui tamen adhuc modicum profecit.

Sed cum in hac altercatione sæpius luctaretur, & in huiusmodi molestia ambo crebrius fatigarentur, illi iterum quandam suæ sollicitudinis querelam suggerenti, vir DEI debito iustitiæ Zelo permotus, turgente, ut aiunt, pulmone respondit, ut aut in promissa obedientiæ stabilitate DEO devotus serviret, aut certè ad solitam sæculi vanitatem laqueis iterum Sathanæ irretitus abiecto habitu rediret. Ad quam vocem stupefactus auditor intremuit, & erroris sui nimietatem serò tandem perhorrescens ingemuit; sed & hanc Causam Pio Imperatori Henrico per ordinem Abbas totam secretius insinuavit, ipsumque

Audi-

Auditorem ad corrigendum talem homi-
nem corrogavit. Quem confestim Prin-
ceps ad colloquendum clementer evocans
per semet ipsum convertit, & ex Evange-
licis vel Apostolicis regularibus præcep-
tis instruere cœpit, nullum posse duobus
Dominis servire, nec Monachum ad sæ-
culum, *Matthæ: 6.* ut canem ad vomitum,
reverti debere. His, & alijs huiusmodi
2\. *Pet.* 2. præcautionibus, tandem in Chri-
sto vere compunctus vir memoratus omni
prædictâ pactione cordetenus oblitâ, &
totâ cuiuscuuque incommodi querimoniâ
abolitâ, ad Althanense Monasterium, ubi
tunc sub ejusdem Patris cura ut in gratia
omnium loquar, singulare divini cultus
servebat studium, se contulit, & illic fra-
tribus humillime subjectus, & in sacræ
Religionis districtione pleniter in brevi
tempore, divini roris infusione instructus,
ultra regulare præceptum semet Prælatis
admirantibus afflixit. Cumque in Auste-
ritate vitæ perseveraret, & exemplo suo
quamplures ad viam veritatis, incitaret,
veluti lucerna super candelabrum posita,
fama eius bono odore resparsa ad aures B.
Stephani Regis Vngarorum ipsius Venera-
bilis viri cognati emanavit, cuius animum

magno dilectionis in citavit, amore, ut hunc facie ad faciem videret, quem sic de virtute in virtutem proficere frequens fama prædicaret. Vnde factum est, ut ad ipsum nuncios dirigeret, & ut ad eum venire non recusaret, omni studio postularet. Vir autem Domini conversationis suæ non immemor, hæc sibi minimè licere respondebat, quæ Rex pius postulabat. His Rex auditis majoris inflammatur charitatis amore, & velut anteà nuncios direxit. Sed ille se venire etiam secundo denegavit. Tertio itaque post illum veluti primo & secundo transmittebat, & ut ipsius pet tioni assensum præberet, humiliter postulabat. Igitur S. Guntherus Regis tandem victus precibus, ejus petitioni licet invitus annuit, & accepta Abbatis, & Fratrum benedictione cum transmissis legatis, pariter & ipse ad Regem pervenit. Rex autem viso S. Gunthero, gavisus est, & quomodo hunc arctius veluti justum & sanctũ diligebat circa ipsum majorem diligentiã habere satagebat. Factum est autem dum hora prandij S Guntherus mensæ Regis pariter consedisset Rex sibi pavonem assatum apposuit, & ut carnibus vesceretur intimè flagitare cæpit.

anctos

Sancto autem viro sub regulari conversatione degente, & hujusmodi cibis abstinente, penitus contradicebat, & illicitis cibis se contaminari nolle afferebat; cujus voluntati Rex non minus resistebat, ut apposita manducaret, non solùm rogando, verum etiam ; præcipiendo laborabat; Quidnam facere poterat? Præcepto Regis se obtemperare promittebat, sed in divino adjutorio fiduciam retinebat. Quapropter factum est, ut inter prandentes hic solito more orationi insisteret, caput manibus inclinaret, profusis lacrymis nè illicitis cibarijs pollueretur, divinam clementiam implorabat. Mira res atque stupenda, completa DEI famulus oratione, caput de manibus elevabat, avis assata mensæque super posita reddita vitæ pristinæ devolabat, & ab ejus vsu gratia divina virum liberabat. Quo viso cuncti miraculo inaudito DEO gratias referebant, nec amplius sancti viri voluntati resistebant. Sed DEI famulus plus appetens mala mundi perpeti quam laudes? pro Deo laboribus fatigari, quàm vitæ hujus favoribus extolli deserti loci secessum cum aliquantis sibi de Altach cohærentibus in quodam saltu Boëmico de permissione sui Abbatis Domini Godehardi

 petijt,

petiit, ibique cellulam in honore S. Ioannis Baptiſtæ conſtruxit, & ipſum locum Rinchnach proprio nomine appellavit, in qua ad XXXVII. annos in ſtudio ſanctæ Religionis & in ſumma diſcretione paupertatis ſpontaneæ cum ſibi remanentibus vixit. Annona denique erat varia, ubi de potu & delicioſis cibis nihil erat, & vbi non niſi ſola aqua habebatur, & ipſa etiam hoſpitibus ad ſufficientiam, Fratribus verò ad menſuram dabatur. Literas omninò, niſi tantum Pſalmos aliquos, non didicit, & tamen omnem rationem & intellectum Evangeliorum, Regis, & Prophetarum, hiſtoriarumque ex crebra Fratrum relatione & avidiore, verbi DEI auditione mirabiliter percepit, adeò ut ſæpiſsmè obſcuriora myſticà intelligentiæ interdum ſubridendo, interdum verò admonendo ſtupentibus auditoribus proferret, Quod nos quidem qui eum familiarius cognovimus, frequenter audivimus, præcipuè tamencùm in ſumma ſua feſtivitate adeſſet in cella, quam ipſe in honore B. Ioannis Baptiſtæ conſtruxerat, ſpecialis ſui Patroni, ſermonibus ejus afluimus, quo in Capitulari collatione eodem die Fratres ſuos admone-

monebat, dum eos de eiuſdem patris, Beati videlicet Ioannis vitâ & moribus; victu, & etiam veſtitu ac operibus ad paupertatis ſuæ DEO placitam tolerantiam inſtruebat. Verum enim dico, & coram Deo non mentior, quia omnes penè, qui aderant, eidẽ ſermoni, ad uberrimam lacrymarum effuſionem dono DEI ſunt compuncti.

Aſſedit & ibidem Venerabilis Ratmundus Abbas cum plurimis ſui cænobij Fratribus, & alijs inſuper multis hoſpitibus, præter nos, quos in canonico habitu illuc ingredi religio vetuit, quos tamen familiaritas, & maximè Abbatis licentia, circumquaque ad feneſtras ignorante concionatore clanculò collocarit. Erat enim ut de S. Benedicto dicitur, quem poſt Dominum vitâ & moribus ſequebatur, ſcienter neſcius, & ſapienter indoctus.

Hæc itaquè breviter diximus de honeſtate morum, & converſatione; nobilis viri Guntheri quantumque per pœnitentiæ ſatisfactionem Domino complacuerit, quæ nobis ad imitationem boni exempli ſufficiant. Ecce enim camelus depoſitâ Gibbi ſarcinâ anguſtum foramen acus penetravit, ipſum ducente, cui omnia poſsibilia ſunt, & nihil difficile, quique eſt mirabilis

in operibus suis maximè in misericordijs, neminem propter enormitatem scelerum deserens, omnia dissimulat, propter pœnitentiam, peccata. Vnâ horâ convertens impium, sanctum facit, cuius virtute caput antiqui hostis pugnando contrivit Christicola Guntherus. De virtutibus verò huius venerabilis viri, quibus adversarium superavit, vel quas eius insidias pertulit, nulli compertum habetur, eò quòd multo tempore hominibus incognitus mansit, qui tamen licet locum mutaverit, hostem non mutavit. nullique dubium quia quanto in spiritualibus profecit, tanto plus acriora certamina toleravit. Igitur quanti meriti vir iste sit, per lapidem indicatur, in quo dum in vasta eremo solitarius Christo militaret, post laborem quievisse quantitas membrorum ipsius veluti in molli strato quiescentis, nuncusque apparet impressa. Et quid dicimus? nam sicut ad roborandam fidem credentium Petri Apostoli vestigiis fluenta maris Christi pietas solidavit, sic ad declaranda *Mat.* 14. famuli sui Guntheri merita duritiam silicis in mollitiem ipsius membri stravit, ut ex hoc clareat, quanta suavitate in Cælis animam eius pius Iudex remunerat, quem
ad

ad ſectanda ſua præcepta miſericorditer inflammavit. Attollamus igitur mentes noſtras ad imitanda ſanctorum exempla, ut dum eorum geſta laudamus, nos ipſi probabilem vitam ducamus: iuxta quod Pſalmiſta admonet dicens Pſalm. 68. *Quærite Dominum & vivet anima veſtra. Pſal. 33. & iterum. Accedite ad Dominum & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur.* Tunc enim facies noſtræ in die Iudicii, non confundentur, nec terribilem ſententiam, *Ite maledicti in ignem æternum, Matth.* 25. audiemus, ſi toto corde ad eum accedentes, prava fugere, huius mundi inquinamenta devitare ſtuduerimus, atque ab omnibus peccatis, per pœnitentiæ labores expurgati, cum ſanctis & electis audiemus, à piiſsimo Iudice. *Venite Benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ob origine mundi.* Ad quod Regnum ipſe Dominus invitat cum dicit in Evangelio. Ioan: 12. *Siquis mihi miniſtrat me ſequatur, & ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit.* Sed quia fragilitate depreſsi ad ſublimia minimè tendere valeamus, tota mentis intentione Sancti Patris huius poſcamus ſuffragia, ut ipſe qui

non Iuſtos, ſed peccatores vocare venit; precibus ſui dilecti Confeſſoris igne ſancti Spiritus pectora noſtra inflammans nos de convalle huius miſeriæ, & via peregrinationis revocet æternam ad Patriam Ergo DEI clementiam quæ ſervum ſuum de labore perduxit ad requiem ſuperlaudantes, ne lector circum locutionibus corda detineat Auditorum, ſermonem vertamus ad ea, qualiter ad laudem & gloriam nominis ſui nobis peccatoribus Chriſtus ſervi ſui terminum huius vitæ manifeſtare dignatus eſt, pandamus breviter.

Cum verò omnipotens Deus beatum virum vellet à labore quieſcere, & æterna mercede remunerare, eiuſque vitam in exemplum hominibus demonſtrare, ut poſita ſuper candelabrum lucerna clareſceret, quatenus omnibus, qui in domo DEI ſunt, luceret, contigit vt inclitus Firo dux videlicet Bretislaus, cum Poloniam glorioſè ſibi ſubiugaſſet, victorque cum pâce ad ſua rediſſet, cuiuſdam urbis, quæ Prachen dicitur confinium cauſſâ venationis cum ſuis adiit; ubi quâdam die ut ſolêbat venatum exivit. Cumque ſui omnes huc illucque diſcurrerent, nec in aliquo proficerent, ſubitò apparuit eis cervus mi-

miræ magnitudinis, quem ipse Dux cum magna alacritate subsecutus, est tunc cervus quasi fugam simulans, in quendam locum ipsius silvæ, quàm celeriter devenit, & veluti nullo sequente securè stare cæpit. Hoc Dux intuitus ac solo cliente parvo contentus, cervum aggreditur, & eius formam & magnitudinem diligenter scrutatur, denique cum fidei armis munitus hæsitaret animo, subitò de Cæli fastigio audivit claram sibi vocem taliter insonantem. *O Bretislae, non semper quæ alta sunt DEI consilio, tuo fragili desiderio quæras, sed cum humilibus humilia. tibi tuisque posteris prosatura ne pigriteris attendere. Hoc enim in loco latet DEI thesaurus, tibi quondam valdè amabilis, nunc verò & in futura tempora cunctis quærentibus piè desiderabilis, Nam scriptum esse cogita. Ioan. 5. Pater meus operatur, & ego operor, quia ego in Patre, & Pater in me est. Ideoque quidquid servi mei operantur in hoc seculo, non eorum sed DEI virtutem in omnibus credas.* Hæc talia dum Dux tacitus audiret, & ut amens stupefactus, de loco quo stratus iacebat, vix resumpto spiritu, surgit, ac circumquaque aspiciens, illico in ipsa vasta solitudine rivulum parvulum à longe

 videt,

videt, pulchroque gramine circumdatum, quasi quibusdam odoribus abundare, quo in loco lapidem miræ magnitudinis, & super eum cellulam vilibus de lignis constructam, miro odore redundantem invenit, & solus cum solo cliente de supercilio montis descendens, licet pavidus, cruce tamen Sanctâ in fronte signatus, quid ibi lateret cogniturus, celeriter intrat. Et ecce senem pulchrâ canitie sedentem, & albescentem, ac veluti Angelum DEI in vultu relucentem, lectoque ceu in oratione prostratum aspicit nimio quoque horrore pervasus cæpit stare. Quem senex pio vultu intuitus, ne ad talia trepidaret, sed ut DEUM omnipotentem in omnibns laudaret monuit: & quod ipse Guntherus esset, qui eundem de sacro fonte suscepisset, diversis indiciis licet admiranti Duci assignavit. Tunc Dux his verbis Spiritum ad plenum resumit, & confidantiâ animi recepta pium virum interrogavit, quomodo vel quando ad tam insolitam solitudinem devenisset, vel curtam duram vitam monachorũ attigisset, ac satis amicabili & multum lacrymabili affatu precatur, ne ulterius tam nobilis vir hominibus lateret incognitus, sed ad terram sui Ducatus melius fovendus perduce-

duceretur , quam plurimum rogabat. Quod vir DEI prorſus renuit, & ne DEI voluntati in aliquo contrairet ſollicitè DEUM rogans. Vnde dux valdè miratus, & in eius piis admonitionibus, & diverſis verbis conſolationis, orationibus ſe Sancti viri commendavit, & ut in reliquò de apparatu proprio nulla neceſſaria ei deeſſent, ſe daturum promiſit. Quæ omnia Guntherus à præfato Duce benignè ſuſcipiens, & multa prædixit futura, & veluti quodam præſagio inter reliqua pii affaminis verba proloquens dixit: *Meæ dilectionis cauſa ſi veniſti Fili, meæ petitioni eſſe contrarius noli. Nam corpuſculi mei jam diſſolutio inſtat, & quamvis de ſepultura mei diverſi diverſa ſentiant, ego, ut in ſpiritu loquar, corpuſculi mei Brzevvnoviæ depoſitionem locandam teſtor, & quod in Spiritu, loquor, id ab omnipotente ut fiat, ex opto. Proinde, chariſs me fili, memoriæ causà prædicto loco Brzevvnoviæ aliquid ſolatij apta, ut & mei in* Domino, *& tui tuorumque omnium impoſterum in* Deo *memoria habeatur, & in meæ requiei, quæ futuri inibi diem Iudicij exſpectabit, dignum memoriæ fructum tuis licet poſtea, vel tuorum Succeſſorum in temporibus confirmanda*

da prudenti consilio adapta. Super hæc autem omnia si meæ discessionis vel migrationis terminus delectat, crastinæ diei tertia hora, quid de meo transitu divina operatio sentiat, meæ fragilis vitæ terminus declarabit. His Dux auditis turbatus est animo, & in oscula ruens, amarissimis circumfusus lacrymis, magno rugitu talia proclamabat. *O! charissime Pater, cur me, licet ad te tardè venisse detestaris? ô canities veneranda, quem veluti Angelum* DEI, *licet indignus amplector? cur me Filium ut dicis, tuum Spiritualem tam cito ceu Orphanum relinquis? Tuæ enim puræ orationes, tua crebra ut spero jejunia, meæ pravitatis deberent esse, & fuerunt tuta præsidia, ut apud* DEVM *omnipotentem pro meis criminibus, quibus humana fragilitas sæpius convincitur, hostisque mille fraudum dolis atteritur, fierent assidua suffragia.* His clamoribus motus pius Guntherus dixit flenti nimiumque gementi: *Desine Fili, desine talia agere, & sperans in Domino noli metuere, meæque petitionis effectum libenter excipe, veraciter perfice, jam jam ad tuos redime ique secretum prodere noli, sed crastino non tardè redeas, & meæ migrationis, si Dominus Deus voluerit interesse poteris:*

Tunc

Tunc dux valdè tristis & gemebundus benedictione tamen acceptâ cum suo cliente discessit, & ne cui talia secreta prodat, sub interminatione interdixit. Igitur sequenti die Bretislaus dux assumpto venerabili Episcopo Severo, qui sibi speciali familiaritate adunabatur, summo diluculo ad viri DEI cellulam pervenerunt, ipsumque orationi instantem, laudesque Deo omnipotenti psallentem invenerunt. Completa verò oratione post longa futuræ vitæ colloquia peractisque à Severo Episcopo Missarum solenniis, vir, Domini corporis & sanguinis perceptione se muniens, hora diei tertia, canentibus qui aderant, & flentibus inter orationis verba, immaculatum DEO spiritum reddidit. De carnis igitur ergastulo iam felici recedente anima, tanta de eo suavissimi odoris redundavit fragrantia, ut cunctorum ibi assistentium perfunderet nares & pectora. Cuius odoris suavitas, tam diu stabilis permanebat, quousque viri DEI corpus ad locum sepulturæ perveniebat.

Post hæc peractis omnibus ad exequias attinentibus corpus illud Sanctissimum indomitis equis est super positum, quod cum tanta mansuetudine ad locum sepulturę

turæ ab eiſdem delatum, ut profecto claresceret, quanti meriti extiterit in Cælis, cuius corpus bruta animalia poſt poſitâ ferocitate venerabantur in terris. Obiit autem Chriſti Famulus Eremita Guntherus anno Incarnationis Domini M X L V. ſeptimo Idus Octobris, ſepultuſque eſt, in Monaſterio *Brzevvnovienſi*, quod à Civitate Pragenſi diſtat X. *Stadiis* ubi ipſe dum ad huc viveret ſe ſe ſepeliendum eſſe in ſpiritu prædicebat, In quo loco per eius merita fiunt aſsiduè miracula, multa infirmis præſtantur beneficia, donante Chriſti gratiâ, qui cum DEO patre vivit & regnat Deus per infinita ſæculorum ſæcula Amen.

Conditor & ſalvator humani generis per ineffabilem ſuæ bonitatis Clementiam mirabiliter Sanctos in Cæli glorificans, miſericors eſt peccatoribus in terris & licet iam ſeneſcente mundo, corrupta ſit omnis caro iniquitate, non tamen accenſam lucernam patitur occultari, ſed illuminatam igne cæleſti ponit ſuper candelabrum, ut omnibus in domo DEI luceat; Lucernam dico Beatum Guntherum qui propria linquendo, & Chriſti præcepta ſequen-

quendo mundum despexit: quem miracula ad sepulchrum eius vel alias permerita ipsius operante divina clementia facta glorificant.

Hactenus vita S. Guneheri.

JAcent porro sacræ eius exuuiæ in Sacello S. Benedicti & subruderiibus apud Cœnobium S. MARGARITAE, dictum Brzvvnoviense, Ordinis S. Benedicti, propè Pragam, fundatum á Boleslao pio Boëmiæ. Duce & S. Adalberto Episcopo Boëmiæ. AEtate nostrâ, Reverendissimus loci præpositus P. Zdislaus Berka de Duba & Lippa hortatu cuiusdam è Societate Iesu Patris accinctus jam ferè erat operi, ut sacrum eius corpus è ruderibus Cænobij ac Templi illius ab Hussitis diruti in lucem, ac pristinam populi venerationem produceret: sed mors cogitationes illas abrupit.

Est & alia ejusdem sancti prope Arcem Rabij in Boëmia memoria in colliculo, ubi vetus extat Ecclesia Sanctorum omniũ nomini sacrata: juxta quam, qua Oppidum Rabij respicit, vestigia Asini aut muli Petræ alte impressa apparent, quorum Origo hæc celebratur. Repertum fuisse Sanctum Guntherum

ire

therum quondam eo in loco à Monachis Benedictinis Monasterij Brzevvnoviensis, multisque ac importunis fatigatum precibus in Cœnobium illorum migrare voluisse; atque adeo itineri jam accinctum, jumentum conscendisse. At ecce, ut testatum esset migrationem illam non fieri è Dei placito, vestigia bestiæ profundè in Petràm, idque iterum ac repetitis vicibus descendisse, ut his moti Religiosi illi sancto viro esse molesti desierint, illeque ad suum Tuguriolum, ubi nunc Ecclesia illa est, fuerit reversus.

Ex plurimis, quæ apud sepulchrum eius facta sunt miracula paucula hic subijciam ex Boëmico hac de re impresso libro excerpta.

1. In Vngaria Procerum non nemo, nomine Laurentius membris omnibus captus, cum diu à Deo per merita S. Stephani Vngariæ Regis sanari oraret, apparuit ei Sanctus Stephanus Rex monuitque ut in Boëmiam profectus ad sepulchrum sancti Guntheri precaretur obsecutus ille mox sanitatem obtinuit, & Monachi Cœnobij illius, sonantibus omnibus campanis, Deo hymnum: *Te Deum laudamus* magno jubilo concinuerunt. Gratitudinis ergo sepul-

chrum

chrum sancti Guntheri eleganti tegumento vestivit, cum gaudio reversus in Vngariam.

2. In Bavaria in Monasterio Altensi nonnemo dictus Landfridus, etiam ipse membris captus omnibus, monitu S. Virginis Deiparæ, die *S.* Dionysij Areopagite (qui ipse etiam dies est S. Guntheri) in Przeunovium venit, ubi eum vir quispiam Religiosa veste indutus eum erexisset, momentoque persanâsset, mox ab oculis eius evanuit. Ob quod more solito Campanæ Cænobij eius omnes in lætitiæ, gratique ergà Deum animi si quam sunt pulsatæ.

3. Nobilis quidam Boëmus ex Familia Raezinorum, à Dæmone obsessus è vestigio ad sepulchram *S.* Guntheri & liberatus, campanis ut post sine puta miracula fieri solebat, jucunee resonantibus.

4. Civium Pragensium unus nomine Martinus, filium cœcum, & mutum natum ad sepulchrum S. Gunheri delatum, sine mora, sanum præsenti maximâ Pragensium turba recepit, statimque dimidium bonorum suorum Cænobio illi donavit. Ivo viso miraculo quidam Bavarus domum reversus amico suo Author fuit, ut filium suum

suum cæcum etiam deferret ad S. Guntherum; sed is filio domi relicto peregrinatu ad S. Guntherum, cum hic jejunio & orationi vacaret, cœlitus intellexit, Filium in Bavaria illâ ipsâ horâ visum recipere; id quod verissimum fuisse postea deprehendit.

5. In Thuringia Petrus quispiam præcipuæ nobilitatis vir triennali morbo prostratus, à medicis relictus, amicis jam gravis, famâ horum miraculorum excitatus, se S. Gunthero commendavit, sanatusque Brzevvnovium gratitudinis causa advenit.

6. A tumore colli alius, alius à morbo caduco, duo à lepra alius à periculosis Dæmonum tentationibus, fœmina quæpiam Anno 1256. die S. Magdalenæ à rabie; alia à fluxu sanguinis; alia Anno 1258. die S valentini, alijque alias à cæcitate, atque à morbis alijs sunt liberati; multis manus aridæ sunt restitutæ sanitati.

7. Lampas apud S. Guntheri corpus suspensa aliquando nullo hominum coóperante ignem concepit.

8. Anno 1248. 2. Septembris Gertrudis quædam in morbo jam deposita, suasu cuiusdam ex ordine Prædicatorum semimor-

tua ad *S.* Guntheri monumentum delata revaluit.

9. Quidam à duobus Dæmonibus ſub viri ac fæminæ figura conſpicuis vexatus, cum ad opem S. Guntheri confugiſſet, ab eo ſibi etiam conſpicuo vehementer baculo percuſſus hæc verba audivit: *Fili hac plaga liberaberis*: & mox vere liberatus eſt.

10. Anno 1256. 4. Auguſti Vdalrici Pragenſis civis filius à gravi morbo Filiola ab Hydrope apud monumentum S. Guntheri ſunt ſanati: deindeque eiuſdem alius filius ab equo graviter percuſſus itidem ſanatus, cauſam dedêre ut Parens ea die annue in pane & aqua ieiunaret.

11. Alius Pragenſis civis dictus Putna, cum Filiolam ſuam jam poſitam *Brzesnovium* deveheret, illa prope Cænobium expiravit, quare mortuam ad ſepulchrum *S.* Guntheri detulit, & mox vivam recepit.

12. Ex pago Bubeneez Virgo dicta Dauchavva, cùm uſum manuum pedumque ac inſuper linguæ amiſiſſet, die S. Matthiæ apud S. Guntherum valetudinem recuperavit.

Hactenus miracula S. Guntheri.

Fuit & alius in Boëmia Eremita exterus P. Guil-

F. Guilhelmus Peregrinus, quem ait Raderus trans Danubium in Sclavonum, seu Bohemorum monte, dicto VVinburgum habitâsse.

Habet præterea Raderus consignatos plures sanctos, qui olim Boëmiam præsentia sua decorarunt, inter quos (prout etiam ex historijs Boëmiæ constat) fuit Sanctus VVolffgangus Ratisbonensis Episcopus, à quo Raderus dicit auspiciis S. Bilgrini, seu Peregrini Batavorum, seu in Bathaus in Bavaria Episcopi, totam Boëmiam ad Christum Dominum conversam ante Annum Domini 972.

Sanctus ergo Pilgrinus misit S. VVolffgangum in Boëmiam; qui eundum etiam advocaverat in Vngariam ad fidem Christi ibidem prædicandam.

Superest memoria S. VVolffgangi in Boëmia supra Pagum & Castellum Chudenicz Illustrissimorum Dominorum Czerniniorum Stemmatis Titulare, ubi in nemore colli imposito ad sacellum prædicto sancto dedicatum, hodieque in Petra apparent vestigia utriusque pedis sancti illius Episcopi quæ is, dum per Boëmiam in suo munere Apostolico peregrinaretur, ibi dicitur ibi impressisse, magnus solet ad illud

illud feriis secundis Paschatis ac Pentecostes fieri hominum piorum concursus, narranturque inibi non nulla supra naturam fieri solita. Etenim Sanctus VVolffgangus, ut olim cum esset Episcopus Ratisbonensium, Boëmiaque careret Episcopo, curam gessit Boëmiæ, ita adhuc Boëmiam suam è Cœlo videtur respectare. Nam & circa Annum Domini 1600. Domino Humprechto Czerninio, loci illius Domino tum Regni Boëmiæ subcamerario vegeto ac valenti, nihilq; de morbo, nedum de morte suspicanti, vox vigilanti insonivit: *Humprechte dispone domui tuæ, morieris post triduum: prius tamen peregrinare ad S. VVolffgangum ibique peccata confitere, & SS. Eucharistiam sume.* Paruit ille monito, tametsi nullum periculi signum in se adverteret summoque mane res suas cum Familia, & cum Parocho Chudenicensi, aliisque quorum intererat, composuit; S. VVolffgangum, ut iussus erat, adiit, & quarta die, diem suum pie obiit.

Idem Raderus in Bavaria pia refert Posonem, seu Bosonem Episcopum Merceburgensem (qui obiit Anno 967.) Selavis, seu Boëmis, Lusatiis, Vngaris, qui ad orientem vergunt, Idololatris, vel saltem adhuc

mori-

moribus paganis Cæleſtem Chriſti legem ingenti cum labore promulgâſſe, dicitque eum natum Bavarum in Bavaria obiiſſe.

Nihilominus præcipui primique Boëmiæ Apoſtoli ſunt, SS. Cyrillus & Methudius Epiſcopi, qui è Græcia egreſſi, corpus S. Clementis Papæ & Martyris è Cherſoneſo ſublatum ſecum detulere varias per Provincias, in quibus Chriſtum Dominum paganis annunciavere, donec tandem *Moravas* ac demũ Boëmos Eccleſiæ ſubdidiſſent.

Primus, quem Borzivvogio *Boëmiæ* Duci in Moravia ad Chriſtum converſo domum redeunti, *Sancti* Epiſcopi adiunzêre comitem ſacerdotem, vocabatur nomine *Kaich*, qui primam in Boëmia miſſam Regina Hradecii celebravit.

Venerabilis autem ille Paulus ſacerdos, qui poſtea Borzivvogio & *S.* Ludmillæ fuit à Confeſſionibus & qui VVenceslaum in ſinum ſuum educavit, ac ad omnem ſanctitatem inſtituit, putatur ab eiſdem ſanctis in *Boëmiam* fuiſſe adductus.

Sancti illi quinque Fratres Martyres Benedictini S. Adalberti Roma uſque in Poloniam comites aliquando in Boëmia in Monaſterio Brzevvnovienſi habitárunt.

Sed & temporibus reliquis viri ſancti con-

concionibus suis Boemiam illustrârunt, inter quos B. Ioannes Capistranus Franciscanus, qui Pilsnæi, Glacij, alijsque Boëmię locis Apostolicis suis sermonibus mira in hominum pectoribus est operatus, multaque Hussitarum millia reduxit ad Ecclesiam; multa millia excitavit in militiam adversus hæreticum, & ab Ecclesia repudiatum foedifragum Regem Boëmiæ Georgium Podiebradium; contra quem à summo Pontifice Paullo declaratus est Catholicæ militiæ Dux. Zdenkon de Sternberg Baro Boëmus. Adversus Turcas etiam è Boëmia multos in Vngariam excivit; inter quos & ille Boëmus est, qui cùm Alsam Græcam reliquos inter præsidiarios tueretur, & Turcarum non nemo tempore acerrimæ oppugnationis vexillũ Turcicum jam mœnibus infigere, prosilijt Barbarũ illũ in præceps daturus. Sed Turca ille Boëmũ medium ita complexus est, ut is se eripere & à Barbaro expedire nõ posset. Quare ad B. Ioanné Capistranum ponè cum Crucifixi effigiè adstantem & Christianorum animos accendentem conversus, petijt, num, si una cum cane isto (ita Turcam appellavit) sese daret è maribus præcipitem, anima eius esset futura salutis æternæ compos; cumque

id

id B. Ioannes pollicitus esset, sese unâ cum B rbaro vexillum manutenente, nullâ mora abjecit in Arcis fossam, & lapsu illo vitam sibi pariter eripuit & Barbaro.

Extant manuscriptæ variæ B. Ioannis Capistrani Epistolæ, quas is ad Georgium Padiebradium scripsit ardenter, pro Hæresum in *Boëmia* extirpatione.

Ex eodem S. Francisci Ordine B. Iacobus de *Marchia* fortiter in Boëmia adversus Hussitas decertavit, veneno ab illis sæpius tentatus.

Sed & S. Henricus Imperator in bello, quo ope S. Laurentij *Boëmos* vicit, terram Boëmiam sacris suis pedibus aliquando calcavit eâque victoriâ ad Boëmos nondum omnes Christianos, Ecclesiæ plenè adjungendos est usus.

Nec dubitari debet sanctum quoque Ottonem Bambergensem Episcopum, dum per Boëmiam, ad *Barbaros* convertendos sœpius VVladislai, Sobeslaique temporibus est peregrinatus, occasione illa bene usum ad Boëmorum animas pietatis amore imbuendas adeoque sanctitatis zelique sui radijs etiam hanc Provinciam illu-

CAPVT

CAPVT V.

Pij homines.

EST locus uno milliari Brzezreicio inter silvas Bastinenses in loco Styadraze, sub antiqua desolatâ Arce, nomine Tremssim, ubi modo sunt quædam prata bonorum Brêznicensium; *Illic* fuit quoddam Sacellum, & iuxta illud tuguriolum, in quo 46. an. Eremiticam vitam egit Benedictus de Dluzina, vir Equestris Ordinis, sepultus in Hvvozdian, in Ecclesia S. Procopij. Imago & epitaphium eius Anno 1637. deleta fuit in dealbatione templi. Dicitur fuisse tãtæ innocẽtiæ, ut cum leporibus subinde luderet; sed & quando illi in hortulo damnum in caulibus faciebant, vocabat illos ad se, & virga correctis documenta dabat, ne amplius ad damna redirent. Sunt quidam in vivis qui hæc à Majoribus suis acceperunt. Sacellum autem non ita pridem id est, anno circiter 1620. destructum est à quodam Capitaneo Breznicensi Hæretico.

Ad Civitatem Strakonicensem est Arx, vel potius Conventus Equitum Melitensi-

F um,

um, *S.* Ioannis Hierosolymitani. Erant olim inibi duodecim sacerdotes eiusdem ordinis, qui etiam, vicinas Parochias administrabant. In templo ejus Arcis est sepulta quædam puella, quæ à Matre Iudæis vendita ab illis occisa fuit. Et cùm hoc rescissent Christiani, corpus acceperunt, & in templo arcis sepeliverunt, ubi in lapide sepulchri Cruce signato hæc scripta sunt: *Puella annicula Dorothea à Iudæis occiditur die Martii Prima* 1503. Vnde Iudæi non habitant ab eo tempore in illo Dominio, Mater verò illa est combusta.

Auctaria.

[De *S*anctitate Martini Strakonicky Parochi in Strasinie sepulti in Blizivvi dictū est in vita Patris Alberti Chanovvsky toto cap. 3.

Novædomi celebris est Fabianus, seu Favianus, Marzan Dominorum de Rosis seu de Nevadomo ibidem quondam cocus, qui relictâ Aulâ se contulit in Eremū quinque horarum itinere indè distantem; vbi cùm vitam sanctè finivisset, omnes Novædomi campanæ ultro nemine impellente pulsabantur: quo Iudicio Mors ejus prodita

dita & corpus allatum honorificè sepultū in Templo S. Ioannis prope medium Anno Domini circiter 1400. Vestigia eius in lapide durissimo supersunt in quo olim sedebat & cubabat.

Est in Cathedrali Templo Pragæ sepulchrum, atque è marmore albo monumentum ad ipsum parietem sacelli S. VVenceslai collocatum cum hac epigraphe.

D. O. M.

GEorgio Papelio Baroni à Lobkovvicz Domino in Duxavv, & Schvekenstain, Sacratissimo Imperatori Rudolpho II. à Consilijs, Iudicijs Appellationum in Boëmiæ Regno Præsidi, vitâ insigni cum pietate transactâ defuncto Anno M. D.XC. die XI. Septembris. Adamus Gallus Papelius Fratri Germano mærens posuit. Vixit annis XXXIV. Mensibus VI.

[Narratur sub ejus mortem in signum ejus Sanctitatis, campanas divinitus impulsas, nullius hominis operâ sonuisse. De ejus autem pietate hoc speciale memorant (id, quod tamen alii dicunt ab alio quodam Domino itidem Lobkovvicio fu-

iſſe factitatum) eum ſingulis ferijs ſextis Crucem trabalem, exemplo Chri... D. fuiſſe ſolitum bajulare per longum ſpaci-um itineris.

Memoratur etiam ab Hiſtoricis eximia Pietas clariſsimi Herois Iaroslai Baronis de Sternberg, qui à VVenceslao Ottocaro cognomento Monoculo Boëmiæ Rege ad-versùs Tartaros, poſt Ruſsiam Poloniam Sileſiam vaſtatam in reliquas Europæ pro-vincias impetum parantes miſſus Olomu-cij Metropoli Moraviæ octo Chriſtianorum millia congregavit, quibus ducenta circi-ter Tartarorum millia aggreſſus hoſtes profligavit, ducique eorum Petæ nomine manu propriâ dextram amputavit. Prius quam in Barbaros moviſſet, in foro Olo-mucenſi, cum copijs ſuis omnibus flexi genua, opemque ac patrocinium DEIpa-ræ apud DEUM imploravit, voto addito Templum ſe DEO ſub titulo DEIparæ e-recturum, ſi victoriâ potiretur. Mult... deinde à Rege Boëmiæ ornatus eſt digni-tatibus, ejuſque Honori inſtitutus eſt ſu-premi Moraviæ Præfecti Magiſtratus, quem is primus omnino geſsit, ac deinde poſte-ejus longâ ſerie obtinuerunt, quorum eti-am multorum effigies ac epitaphia ſuper-
ſun-

ſunt in Templo B. Virginis Olomucij, id quod ipſe victoria obtenta voti reus ædificaverat. Templum illud nunc eſt Collegij Societatis IESU. Sepultus eſt prædictus D. Iaroslaus Pragæ in ſacello S. Barbaræ apud moniales Ordinis S. Claræ in monaſterio S. Franciſci, vulgò S. Agnetis dicto: Vbi ſuper Marmoreum monumentum exſtat ejus effigies mitra & pallio ducali exornata.

Illuſtriſsimorum Dominorum Adami de Sternberg Regni Boêmiæ Burggravij & Mariæ Maximilianæ comitiſſæ de Hohenzollern Filiclus VVenceslaus, cùm ab Archiepiſcopo Pragenſi Ioanne Lohelio, Baptizaretur, manus precantium ritu complicuit. Huic Mater cælites Patronos elegit, SS. Stephanum & Laurentium; quorum quidem nomina poſtea fuit oblita; ſed tamen eis puerulum identidem commendabat. Non attigit ille ſeptennium. In morbo ſuo lethali circa annum 16 15. P. Georgio **von der** Boon è Societate IESU ter generaliter de tota vita confeſſus, ſæpius ingeminabat, oportere nos magnâ diligentia ad mortem præparari. Flere Matrem prohibebat, quod ſe vtique ad Cælum mox iturum ſciret, quin & jam veniſſe pro

 ſe SS.

ſe SS. Stephanum & Laurentium eoſque adeſſe ad illum locum vbi Crucifixi effigies ſtabat. Et verò in pede Crucifixi illius repertæ ſunt poſtea reliquiæ dictorum duorum ſanctorum, Sed & Matri memoria redijt, hoc eſſe ſanctos quos illa infantulo Patronos legerat. Solebat puerulus ille ad ſonum ſingularum horarum cruce ſancta frontem ſignare, ac pauliſper precari quod & in illo morbo, cùm tertiam pomeridianam audiret, facturus dexteram elevarat, debilemque etiam læva juvabat, ſed eo ipſo momento morte abreptus duos digitos complicatos reliquit, quos ad Crucem faciendam extenderat. Sepultus Bechinæ in Monaſterio Franciſcanorum, vbi circa annum 1619. à rebellibus hæreticis è tumba dum eſſet ejectus, manus illa cum cubito apparuit integra, hodieque incorrupta perſeverat quam deinde Mater ſacrorum lipſanorum inſtar aſſervatam Filiæ ſuæ Illuſtriſsimæ Mariæ Evæ de Tiffenbach poſt obitum reliquit; quam etiam Sereniſsimi Archiduces Auſtriæ ſæpius ſibi monſtrari juſſerunt, ac admirati ſunt, vocarique Viennæ manus illa ſolet, *manus boni pueri*.

Quin & Mater ipſa magnæ fuit ſanctitatis, cujus virtutes prolixè à P. Matthia Nenichen

nichen è Societate IESU qui Dominæ ibi erat à Confeſsionibus ſunt deſcriptæ.

Aliud priori aſſane huc adijciam exemplum ex annuis Provinciæ BOËMIÆ Societatis Ieſu acceptum.

In Toparchia Hunburcziczenſi, inter Giczinium & reginæ Hradecium ſita in cellula templo ſanctæ *Mariæ* Magdalenæ Gerzinij adnexa, ex quopiam rumore invenit P. Simeon Hubner corpus virgunculæ incorruptum, cujus tamen veſtimenta ex nigro ſerico jam ſitu aliquid de putredine in ipſis plicis contraxere. Rei inſolentiam admiratus, dum cauſas & originem indagat, ex ſenibus fide dignis, & qui puellæ convixere didicit ſequentia: V[illegible] hanc Patre Georgio VVratislavv d[illegible] vvicz, Gerzicz, & Humburczic[illegible] *Magdalena* genere VVarczuvi[illegible] nicz, utroque pio & Catholic[illegible] li BOËMIÆ familia oriundo [illegible] binæ habuiſſe nomen. H[illegible] tenera ætate jam adultis, p[illegible] te erga DEUM, miſericordia & benignitate erga proximum floruiſſe. Parentum enim in alios excandeſcentem ira animum flexis tam diu genibus placare conſueverat, uſque dum precibus ejus victi iram

ponerent. Neminem mendicabulorum vacuum abire patiebatur, ſed aut ære à Matre obtento, aut pane a familia impetrato recreabat. Quodſi neutrum mox conſequi poterat, tam diu ſupplicans pro paupere, domum circumibat, dum voti compos fieret. Si quos ſubditorum in carceres coniectos didiciſſet, opportunis & importunis precibus eorum liberationi patrocinari, felici plerumque eventu conſuerat. Vnde Parentes, ſi quid ejuſmodi impoſterum accidiſſet, Sabinæ id indicari prohibebant, ne inde fieret triſtior, & ſolitis blanditijs dimiſsionem captivorum vel ab invitis Parentibus extorqueret. Tanta denique naturæ virtute corroboratæ benignitas fuit in puella, ut nec jumenta exagitari aut moleſtia affici citra neceſſitatem pateretur. His virtutibus Cælo jam matura tertium decimū ætatis annū agens, animam Conditori reddit Anno ſalutis 1597. Virgo forma corporis, ſui temporis cæteras in hoc diſtrictu antegreſſa, ſed animo multò formoſior. Ejus integerrimæ pulchritudinis index hæc corporis ſexaginta jam propè annis incorrupti integritas ſt. Sed & corollam, quam vna cum annulo & pretioſo frontali ſuecicus miles Panero
duce

duce Boëmiam devaſtans virgini detraxerat, tam vernans triginta annorum eſt inventa, acſi Roſmaris, illo ipſo die ex horto in ſertum innexus fuiſſet. Manet etiamnum in eius manu lignea crucula incorrupta, uti & precatorius libellus Boëmici Idiomatis, ex quo quotidie crebras ad Deum tenero affectu preces fundere ſolebat, omnis corruptionis expers. Ejus corpori honorificè tumulando cellulam ſeu criptam in qua modo requieſcit, Patruus virginis VVenceslaus VVratislavv Lytomiſslienſis Dominij id temporis Gubernator edificavit. Vicini & advenæ digitum DEI in ea tam diuturna virginei corpuſculi integritate venerantur; nec immerito, ſi quidem nulla in ea ſunt indicia balſami, aut aromatum; & ij quoque, qui morienti puellæ adfuêre negant fuiſſe corpus ejus ullatenus apertum. Inſuper & Amicorum quorundam corpora ibidem multò tardius repoſita, jam pridem in pulveres redacta ſunt, illius autem ſolius virginis corpus incorruptum perſeverat.

Vrſula ex Illuſtriſſimo Lobkoviciorum ſtemmate, Parentum noſtrorum memoria, magnæ virtutis & ſanctitatis fœmina

mina nupta cuidam Domino Pleskus Baroni in Moravia ſolita ſe quotidie in certum quodpiam Chriſti Domini vulnus commendare, multa à Dæmone paſſa fuit adverſa. Quadam nocte cum ei mortem minaretur, illa vero minas eius, flocci faceret, negaretque eum huius rei habere facultatem, adverſus eam, quæ ſe Deo eâ die in vulnus manus dexteræ Chriſti Domini commendaſſet, arrepto Dæmon cervicali eam ſuffocare conabatur. Cumque illa nihilominus ſpem ſuam totam in Deum collocaret, victus Dæmon aufugit, ita tamen, ut prius peſtilenti aliquo halitu faciem eius afflaverit, ex quo vultus eius poſtea graviter intumuit. Eo autem ipſo, quo eam Dæmon deſeruit, momento, cum illa levaſſet oculos, magna vidit luce ſplendidam ſuper ſe dexteram protegentis inſtar extenſam. Alias cum in prædio ſuo deambularet, contigit, ut locum accederet, in quo effuſum quidpiam humoris fuiſſe advertebatur, quam effuſionem quotquot Gallinæ tranſibant aut anſeres, mox in veſtigio extinguebantur, Monita igitur illa ab ancillis, ut locum caveret, cum nihilominus facto ſigno ſanctæ Crucis tranſiviſſet, mox, non quidem exanimis, corruit

tamen

tamen, atque in lectulum est relata, membris nervisque omnibus contractis, atque hoc in morbo tribus annis ac mensibus sex ad obitum usque mira patientia, decubuit, mamilla dextra sanie, ac tabo ita corrosa, ut interiora pectoris apparerent, Cūque ei per magica quædam valetudinem promitterent, adduci non potuit, ut nefaria eiusmodi medicamenta admitteret. Extrahebantur autem ex illo vulnere varij capilli, & pili, ac carbones, cortices, aliæque eiusmodi quisquiliæ, ut facile appareret morbum illum magicis incantationibus ei fuisse procuratum. Sed quod in hac re fuit admirabile, lignea quam Domina illa habebat Crucifixi effigies quasi doloribus eius condoleret, quoties ipsa acerbius cruciaretur, agebat & ipsa in vulnere lateris pus, & saniem ostendebat, atque ex sacratissimo illo vulnere, etiam similia capillamenta, aliasque quisquilias emittebat. Sacrum missæ sacrificium coram ea moribunda celebravit P. Andreas Neibaur Societatis Iesu Pragæ ad S. Clementem Germanicus Concionator vir ab opinione sanctitatis celebris, vbi illa postquam Sacratissimam Hostiam elevari aspexisset, mox

 excla-

clamavit; *Iam D. Deum meum vidi, nec amplius quidquam video.* Et ſic cæca eâdem die obijt. Crucifixum illum eidem Patri donavit, qui nunc aſſervatur apud Illuſtriſsimam comitiſſam Mariam Eleenorá de Noſtitz, natam de Lobkovicz, cui eum ad vitam commodavit, virginum Monaſterium Regium Viennæ Auſtriæ, in quod Monaſterium illatus eſt à dictæ Dominæ privigna, Domini Flesky ex priore conjuge Filia, dum Monaſterium illud & religionem eſt ingreſſa.

Pater Koialovicz in ſua Hiſtoria Lithvvaniæ parte 1. libro 9. ad A. 1386. Refert ſacerdotem quendam Boëmum nomine Hieronymum in Lithvvanis ab Idololatria ad Chriſtum Dominum adducendis ſub Iagellone Rege Apoſtolicè deſudantem, dum ſimulachrum Idoli dreti Perkun, ſecuri demoliretur, incauto ictu pedem ſibi graviter ſauciâſſe; itaque populum Numinis violat ira hoc accidiſſe vociferatum, religiones ſuas profanatas ploraviſſe. At cum idem Hieronymus ducta ſuper vulnus manu crucis ſacræ effigiem deſignaſſet, verique DEI nomine momento ſanum pedem repente circumſtantibus oſtendiſſet, tum verèi nſolentis prodigij ſpectaculo attonitos

nova

novæ Religionis dignitatem ſuſpexiſſe, antiquæ vanitatem omnes deriſiſſe.

Anno 978. Refert VVenceslaus Hagek Bohumitum primum Oſtrovienſem à ſancto Adalberto conſtitutum Abbatem Ordinis S. Benedicti ab omnibus vulgò habitum pro viro ſancto.

Bonfinius in ſua Hiſtoria Vngariæ refert Anaſtaſiū Colocienſem in Vngaria Archiepiſcopum ad illam dignitatem ex munere Abbatis in Boëmia Monaſterij Brevvnovienſis (quod is primus ibi geſſerat) transſatum, tantorum apud DEUM fuiſſe meritorum, ut mortuos ad vitam revocaret.

Petrus Baro à Roſis, cùm jam ſubdiaconus eſſet inter Ciſercienſes Cænobij Attonvadenſis, quia tamen Familia illa Boëmiæ Princeps ad eum vnum redacta fuerat, maritus factus, ac ſupremus Regni Camerarius, poſtquam liberos genuiſſet, ad Monaſterium conſentiente uxore redijt, in eoque vitam ſanctè exegit, cum ſeptemdecim circiter templa priùs erexiſſet, ac inter illa etiam Baſilicam ſancti Viti Crumlovij.

Ejus Filius itidem Petrus dictus Pragæ ad omnes Sanctos in Arce Præpoſitus ob lauda-

laudatiſsimam virtutem ab Vrbano 6. Galero Cardinalitio decoratus eſt quem tamē ipſe humilitatis ſtudio non admiſit.

Circa Annum 1360. Margareta VVartenberga à morte Mariti ſui Hinkonis Hazenburgij inter Crumlovienſes Clariſſas, converſa, virtutibus & miraculis claruit.

Ad Annum 1540. Memoriâ eſt R. P. Ioannis Rauch Ordinis Fratrum Minorum Conventualium Provincialis qui ſeſe eo tempore pro ruente ad Lutherum, Domo DEI fortiſsimus Athleta appóſuit.

Sed & memorabile mihi ſemper viſum eſt facinus Dominæ Eliſabethæ de Plavvna natæ Korensbyanæ, quæ, dum hæreticus Electoris Lazoniæ miles DuceHoffkirchio magnâ Boëmiæ parte ipſaque Pragâ occupatâ Thaumaturgam Deiparæ Imaginem Baleſlavienſem in puplicò minoris Pragæ foro ad patibulum collocatam magno numero militari ordine armatus cinxiſſet, ex ploraturus an demum [id, quod eum ea ſæpius accidiſſe à Catholicis audierant] eis eſſet elapſura, & ex eorum pôteſtate erepta ad locum ſuum Boleslavienſem, ut aliàs ſolebat, miraculoſè reditura: Prædicta D. Eliſabetha per medios illos hære-

tico-

ticorum militum ordines Catholico inflãmata zelo ad Sacram illam accurrit Imaginem, ibique flexis poplitibus eam est publicè venerata, magnaque voce exclamavit: *O Beatissima virgo Mater Dei ulciscere te de tuis inimicis.* Et mox corpus animumque aptavit ad mortem, quam non tantum parata fuit in obsequium Deiparæ subire, sed & sese tunc magno arsisse professa est desiderio, ut militum illorum aliquis ei ferro caput amputaret.

Sequenti verò statim anno ducis illius Hoffkirchij Frater eodem loco, quo DEIparæ iconem sic despectui habuêre, est ob alia quædam facinora plexus capite.

In histor â Societatis Iesu refertur magnarum admodum virtutum Pater Adalbertus Bauzek sequentibus verbis.]

Pater Adalbertus Bauzek Anno 1556. Id est eo ipso, quo Societas IESU Collegium à Ferdinando I. Cæsare fundatum Pragæ est ingressa cùm cira festa Natalitia in Collegij illius templo Pragæ preces ad Deum funderet ei Dominus IESUS pueri venustissimi specie in Sacrosancta Hostia apparuit, Rogantique quid abs se vellet; *volo* respondit puer) *ut ibi sis ubi es.* Quæ Adalbertus

bertus de ingredienda Societate interpretans in eam recipi poſtulavit, votiſque potitus, vitam in Societate vocationi divinæ conſentaneam uſque ad extremum peregit. In academia Viennẽſi Sacræ Theologiæ Profeſſor & Decanus, tum aliá fortiter ad Religionis munimentum geſsit, tum obſtitit, ne volumina parum pietati congruentia, quæ magno numero offerebantur, in lucem prodirent: tum denique effecit; ut qui doctrinæ publicis donarentur inſignibus, ex diplomate Pij quarti Catholicum ſymbolum profiterentur. In Moravia diæceſanæ ſynodo cum Patre Magio Provinciali, & cum Patre Henrico Blyſſemio interfuit, in qua ducentis præſentibus ſacerdotibus, & Antiſtiti, concionibus, privatiſque colloquijs pro virili, quam DEus dedit, tulit opem, Obijt Viennæ Anno Domini 1571. De quo obitu Hiſtoria Societatis Parte tertiâ hæc habet Lib. 7. n. 58.

Dum tanta ſacrorum penuria colonorũ urget, ecce tibi maximè inſignis amittitur. Viennæ Adalbertus Bauzekius Boëmus, quàm acerbo naturæ & rebus humanis, tam maturo virtuti, ſibique obitu, quinto Nonas majas cecidit; Vir mitis, innocens, candi-

candidiſsima anima, humilitatis, amabiliſsimæ, paratiſsimæ ad omnia obedientiæ, ad hæc doctus cum primis, publiceque in Academia Viennenſi, temporeque eodem in Collegio noſtro Theologiæ interpres: Impiger idem navuſque divinæ vineæ cultor: Cujus in ore ac vultu, innocentiam animi, caritatemque erga DEUM, & quoſcunque hominum legeres. Quibus virtutibus ita domeſticorum amores, civiumque rapuerat, ut ægro nullum omiſſum ſit, certatim omnibus omnia conferentibus, divinum humanumque remedium: & fuerint qui vota facerent atque enixè DEUM Dominum precarentur, Vicarios ſe offerentes ut detractos ſibi, illi annos adjiceret, ne munimentum id Religioni alieniſsimo tempore demeretur. Quæ ſpes ubi fefellit, quod reliquum erat, demortuo frequentiâ, dolore, lachrimis, ac lamentatione inſigni juſta funebria perſolverunt. De eo Magius ita nunciat: Tertio die Maij migravit ad Dominum Sanctulus ille, ac Benedictus Pater Adalbertus, dimidium animæ meæ, propter multas ejus virtutes: Cujus mors, ut communi bono per incommoda accidit, & Academiæ & Collegio noſtro, & Theologorum noſtro ſeminario: cum

cum esset ille vas omnium bonorum, & ad labores infractus; Ita vulnus cordi meo tale inflixit, ut etiamnum perdoleam.

Superest etiam pijssima memoria Illustrissimi Domini Ioannis Baronis Senioris Rzyczansky Kavvka de Rziczan, qui Deo sacræque conversationi penitus addictus noctibus singulis ad orationem lectulo consurgere, & in ea horis pluribus hærere solitus, ultimis vitæ suæ viginti annis carnem non degustavit ab omnibus passim magnâ habitus in opinione sanctitatis. Obijt, Anno Domini 1643.

Nec tacendus fortissimus Catholicus Heros Zdenco de Lobcovicz, postea Princeps, & supremus Cancellarius in Bohemia, cuius tanta fuit in vera Religione soliditas, ut ad subscribendum Majestatibus literis, quibus ab Cæsare. Rudol. ad id ferè adacto hæreticis magna privilegia damno Catholicorum gravi concedebantur nullis prorsus etiam amittendi officij alijsque longè gravioribus minis adigi potuerit, cùm se potiùs in frusta dissecandum corpus suum prębiturum generosissimè affirmaret, quam suo calculo perfidiam hereticorum confirmaret. Cum autem postea hæresis jam supercilium tolleret, ipse nihilomi-

lominus ſemper Catholicæ Religionis fuit præſidium, ob quod DEUS optimus uxorem illius natam ex Illuſtriſsima ſtirpe Pernſteiniana annis jam quinquaginta gravem poſt deſperatam ferè ſucceſsionem inſigni, etſi unica prole maſcula VVenceslao Principe adauxit, qui nunc maximis Legationibus & muneribus ſe ſe Auguſtiſsimis Cæſaribus Ferdinandis II. & III. probavit eximiè. *Ita nimirum* DEUS ijs, qui propter ipſum ſua commoda deſerere ſunt parati centuplum etiam in hac vita retribuit. Mortuus eſt glorioſus ille Eccleſiæ in Boëmia Propugnator poſtquam Medicis inevitabile Fatum nunciantibus reſpondiſſet *lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi in Domum Domini ibimus*: Præſente Nuncio Apoſtolico & Regis Catholici aliorumque magnorum Principũ Legatis tanti viri fortitudinem & pietatem admirantibus.

Huic Gemellus fuit Illuſtriſsimus comes Guilelmus Slavvata qui ultimam è Novadomenſi Familia Luciam uxorem habuit. Hic domus illius à Cæſare nominatus Gubernator Sacræ Maieſtatis intimus Conſiliarius, Eques Aurei velleris & ſupremus in Boëmia Cancellarius fuit. Hunc quoque ſucceſsione fœcundâ DEUS benedixit, quia & ip-

& ipſe acerrimus orthodoxæ Religionis propugnator extitit, pro qua etiam ab rebellibus e feneſtra Cancellariæ in Arce Pragenſi eiectus, non nihil caſu afflictus fuit, ſed ut altius exurgeret, atque in Aula Cæſarum Ferdinandorum II. & III. ad mortem uſque gratioſus Auguſtiſsimis Auſtriacum Catholicæ Religionis Zelum ſuo fervore proficuè promoveret,

Ex ſtemmate comitum de Martinitz Dominus Georgius (qui Arcem Smecznonſem, ac in ea ſacellum divæ Annæ Chriſti D. Aviæ renovavit) ob doctrinam & zelum erga Religionem Catholicam requiſitus fuit per Breve Apoſtolicum, ut vacante ſupremo cancellariatu ab cæſare ipſi oblato in regno Bohemiæ illud officium, relicto tunc maiori, quod habebat, ſupremi Judicis acceptaret (quod & fecit) utpote in quo plus poſſet prodeſſe religionis indemnitati.

Huius Georgii ex Patre Iaroslao fato præmaturo erepto Nepos Iaroslaus poſthumus Matre vterum gerente aſsiſtenteque Marito peſte correpto mire ſervatus, ſub tutela Domini Adami de Sternberg ſupremi Burggravij educatus, eius filiã Mariam Euſebiam Matrimonio ſibi iunxit, poſtquam

quam Romæ Clementi VIII. Pontifici Max. efflagitanti promisisset hæc tria; I. se non nisi Catholicam uxorem ducturum; Deinde mox à reditu in patriam è suis bonis hæresim eliminaturum: denique in omnibus Comitijs & Consilijs singulari Zelo bonum Religionis procuraturum. Quo facto promisit sua Sanctitas illum, licet unicum familiæ, à DEO fœcundandum fausta successione. Tandem ipse unus è Regijs locum tenentibus (Cuius curæ Corona, Reliquiæ sacræ & privilegia in Arce Carlensi deposita fuêre commissa) à Rebellibus ex Cancellaria primus è fenestra in fossam Arcis odio fidei Orthodoxæ Pragæ in præceps datus invocata *Mariâ Matræ gratiæ* incolumis evasit & illa die adhuc 12. leucas curru confecit. Dixerat autem unus ex ejectoribus hæreticus Familiâ nobilis ridendo, *videbimus an illum juverit ejus Maria.* Cumque illum infra commodè moventem se ex alto despexisset, subiunxit: *Per Deum ejus Maria illum juvit*, statimque aliquot bombardarum ictibus petitus Iaroslaus bis in veste tantum & semel levissimè in brachio tactus, demum post victoriam illam decretoriam è Politica Regia Gubernatione Vi-

caria

caria hic ardentisſimus fuit, qui hæreſim juſſu pijsſimi Cæſaris Ferdinandi II. & III. glorioſæ memoriæ ex Patria profligavit, adiunctâ lapidi Eccleſiaſtico ope brachij ſecularis. Mortuus ineſt ſenectute pia & bona, ſupremus *Burgravius*, omnibus Eccleſiæ munitus *Sacramentis*. Adeo videlicet Providentia divina in ſua diſpoſitione non fallitur, ut duo illi ejecti fuerint inter politicos Regios adminiſtros quædam quaſi capita Reformationis, alter in Aula, alter in Patria coniunctis viribus ſtrenuè laborantes, pro DEO, Rege, ſeu Cæſare, & Patria.

Eſt & Illuſtrisſimi ac Reverendisſimi Ioannis Lohelii, Pragenſis Archiepiſcopi virtutum laus ingens in Kalendario B. Virginis typis vulgata.

Refert VVenceslaus Hagek A. 1271. obijſſe pijsſimum Virum, Vitum Eccleſiæ Pragenſis Decanum, cuius eximium in concionando Zelum, in templis decore ornandis, diviniſque officijs ac DEI cultu exolcendo ac propagando, mirum fervorem refert, quem ait relictis omnibus, totum ſeſe obſequijs divinis mancipâſſe. Quotidie ſuæ menſæ tres mendicos, die verò Dominicâ quatuor adhibebat, aliaſque Eleemoſynas plurimas, ſed ſecretò largiebatur. In-

ſtitu-

ſtituit in Eccleſia Pragenſi viros & qui diu noctuque ſine ulla intermiſſione Pſalterium decantarent: quam Eccleſiam donarijs ædificijs aliiſque modis, mirè exornavit, multaque alia per Boëmiam templa erexit, plenuſque meritis obiit in Domino.

Eſt & tenuis quædam adhuc memoria, Cuiuſpiam alterius, Sanctæ vitæ Canonici Eccleſiæ Pragenſis Metropolitanæ, qui monialium Benedictinarum ad Sanctum Georgium in Arce Pragenſi in rebus Spiritualibus Director magnâ eis dicitur ſanctitate præluxiſſe, apud quas ſepeliri etiam voluit, cum prius ante mortem ſuam, Epiſtolam ſpiritus plenam, ad eas conſcripſiſſet, quæ epiſtola nuper admodum adhuc exſtabat. Ad ſepulchrum eius dicuntur etiam quædam Cælitus accidiſſe.

Habet præterea Hagecus ad Annum 1393 memoriam Doctoris Ioannek, ſuffraganei apud Archiepiſcopum Pragenſem à Vvenceslao Pigro è Ponte Pragenſi in Moldavvam, ob defenſionem, (ut videtur) jurium Eccleſiaſticorum, præcipitati, cum idem Rex decem Annis antè Beatum Ioannem Nepo mucenum prius crudeliter excarnificatum eodem mortis genere affeciſſe

Quia

Quin & eodem loco Historicus ille refert Iaroslaum de Klinsstein (quem Rex illi cum alio Canonico incarceratum morti pariter destinaverat) VVenceslao pigro prædixisse, eum, quia duos Canonicos iniustè carceri mancipâsset, bis carceri mancipandum, in eoque 40. hebdomadis detentum iri, eò, quod illos 40. Horis in carcere detinuisset: quæ omnia eventus comprobavit.

Sic & olim sacerdos quidam Prostivvo Anno 992. cum Paganos Boëmos quam ardentissimè in fide Christiana institueret, à Hrabodog VVrssovvicensi interemptus.

Anno 1078. Iudæi passim per Boëmiam Sacerdotes Christianos in vijs occidebant, eisque viscera extrahebant, donec deprehensi pœnas dederunt

Huc etiam pertinent illi, quos in odium Fidei Catholicæ innumeros Hussitarum hæreticorum furor absumpsit. Creduntur ducentorum millium numerum in sola Boëmia excessisse, certe solus Ioannes Zisska eorum Dux manu propriâ (ut Impij Hussitæ gloriabantur) mille sacerdotes interemit.

Vrbium Pragensium senatores etiam multi crudelissimè sunt à furiosis hæreticis trucida-

trucitati sœpius, Certè animæ Religiosarum servitarum B. Virgnis ab Hussitis combustarum è mediis flammis spectabiles in Cœlum volâsse traduntur.

Anno 1319. Cum Pragenses Hussitæ Cœnobio Carthusianorum sub titulo B. V. 31. Iulii diruto, undecim Ordinis illius Religiosos intra Curiam veteris urbis carceri inclusissent, die sequenti non sunt in eo reperti nisi decem. Quare carcerem illum seris, ac vectibus iusserunt senatores quàm diligentissimè muniri: sed tamen die tertiâ inventi sunt solùm novem. Vocatos ergo examinârunt, quo Socii eorum devenerint qui nescire se aliud testati sunt, nisi quod cum sese omnes pariter in oratione prostravissent, finitâ oratione semper unus defuerit. Rursus ergò inclusos vesperi accuratè numerârunt, & carceris fores, fenestras, serasque sigillis suis omni diligentiâ muniverunt: & ecce manè salvis sigillis omnibus, non nisi octo repererunt. Quod admirati senatores, hos reliquos octo salvos in Moraviam dimiserunt.

Huc quoque spectant gloriosi illi viri, qui sese murum pro Ecclesia Catholica adversus nascentem Hussij hæresim opposuerunt, quos inter Zbinko de Hazmburg,

tunc Pragenſis Archiepiſcopus, qui medio in conatu hæreſis illius extirpandæ obijt, veneno, ut ſuſpicio erat, ab Huſſitis ſublatus.

In Academia vero Pragenſi Doctores plurimi adverſus eandem hæreſim decertavere, quorum nomina quod Cochlæum Hiſtoriæ Huſſiticæ pag. 50 ipſe Hæreſiarcha Ioannes Huc cum indignatione recenſet, nempe Stephanum Palecz, Stanislaum de Znogma, Petram de Ikoyma, Ioannem Heliæ, Andream de Brada, Ioannem Hildeſen Matthæum Monachum, Hermannum Heremitam, Georgium Botam, Simonem VVendam.

Quos inter præcipuè eminuit Zelus Stephani Palez & Andreæ de Brada. Certe Stephanũ appellat Cochlæus virum Chriſtiano Zelo vehementer ſuccenſum, & ardentem, atq; in medio periculorũ, Spiritus libertate intrepidum & ſecurum. Multa vir ille, ſine intermiſſione ſcripſit, adverſus Huſſium, nulloque modo adduci potuit, ut à tuenda ſancta Matre Eccleſià quieſceret, quamvis id nequiſſimus Huſius modis variis ab eo conaretur impetrare, prout habetur apud Cochlæum libro 1 pag. 20. 27. 39. &c.

Andre

Andreas verò de Broda, quem Cochlæus vocat, vitâ & eruditione venerabilem Theologum, quanto intra pectus arserit divinæ gloriæ zelo apparet ex sanctissima eius epistola, quam dedit ad Zbenkonem Archiepiscopum, quando eum in hæresis Hussiticæ primordijs suffocandis cessare advertit. Extat epistola illa apud Cochlæum pag. 16. in hæc verba.

Magister Andreas de Broda Boëmus Artium Magister, ac sacræ Theologiæ Baccalaureus formatus Ad Archiepiscopum Pragensem Dominum Zbinkonem, cognomento Leporem ex nobilissima Baronum de Leporibus familia prognatum Raudnicij in Arce sua Archiepiscopali habitantem &c:

Ac deinde inter cætera sic scribit,

Valde tremendum existimo illud horribile Domini nostri, quod Ezechiel scribit. Ecce ego ipse super Pastores requiram gregem meum de manu eorum. *Formidabile & pavendum, ne sanguinem ovium de manu Pastorum quandoque requirat. Ausculret Rev.ª vestra Paternitas, si quis hac brutas oviculas prædaretur, & abigeret, hominibus vestris: Nonne vestri milites, nonne famosi clientes, nonnè validi fe[illegible]arent armigeri? Immò, quod plus est, vestra Paternitas tota con-*

 surgeret

surgeret parentela, quatenus abijcere gregem pauperum non sinerent, sed ut prædam abactam recuperarent, etiam cum nobilium corporum dispendio veluti Tigrides currerent, seseque conflictui ingererent, quoadusque recuperarent prædam cum effectu. Revera pluris est unica anima hominis, quàm talia mille millia gregum. Igitur plus invigilandum est, ne hostis noster adversarius Diabolus, suis venenatis discipulis captivans, & illaqueans animas, ipsas abigat & secum in interitum ducat. Labor hic, vigilia hæc vobis incumbit ex officio Pastorali, cuius est errantes corrigere, & ad viam reducere, immo compellere, veritatis. Vt autem res quam intendo V. Paternitati pateat. Ecce palam dico, quòd variĳ libri illius pestilentis hæretici Vuicleph Anglici, in vestra multiplicantur Diœcesi: qui non paucos, immò complures erroneos articulos, immò damnatos, ac meritò damnandos continent. Quales sunt Dialogus & Trialogus, & Tractatus de corpore Christi, & plures alij ut audio. Ex quibus & omnium venenatis propositionibus timendum est, ne oves lethaliter, & insanabiliter sauciantur. In quibus præcipuè damnabilis ponitur articulus, Quòd in Sacramento altaris maneat panis post consecrationem

contra

contra quem Articulum scribere cogor, quia prius cavenda sunt vulnera, quam veniant. Et Chirurgi prius variè præparant Antidota, quam ad se vulneratos, & saucios videant properare. Et ideo R. P. vestram propter IESU CHRISTI *Sanguinem pretiosum & roseum & propter salutem vestram, quam desidero, & propter tutelam Christi fidelium quos omnes cupio, si* DEO *placuerit, fieri salvos, peto, & humiliter peto, imò poplite flexo devotius rogo; quatenus [illegible] vigilantiis [illegible] multiplicatis [illegible] fideles vestri virus [illegible] hauriant. Per quod [illegible] & [illegible] excitati [illegible]. Nullæ enim pestilentiæ, nulla fames, nullus gladius tanta mala possunt ingerere quantum fuerit ex hæreticorum perfidia pravitate &c.*

In alia quadam Epistola idem hic Andreas scripsit se priùs fuisse Husso tam familiarem, ut in eodem cum illo lecto jaceret. At ubi primum eum advertit esse hæreticum, ita eum vitavit, ut ab eo tempore nunquam viderit, nec se ei videndum præbuerit.

Conatus est impiissimus Huss virum hunc ad suas attrahere partes, cui ille acersi-

acerrimâ epiſtolâ reſpondit;multiſque deinde eius hæreſim refutavit, quamvis, ut ait Cochlæus,liber eius typis excuſus non ſit, quem admodum alii plerique eius tempeſtatis Boëmorum adverſus Huſſium tractatus.

Poſtquam autem Concilium Conſtantienſe congregari cæpit mox hic Andreas de Broda cum Stephano Paley & aliis ſe illuc contulit, ut Huſſium accuſarent: quem etiam poſtea ibidem præſentem ſunt acerrimè perſecuti,donec tandem Hereſiarcha ille flammis traderetur.

Enituit etiam eodem tempore zelus Ioannis Epiſcopi Litomiſclienſis ex Ordine Præmonſtratenſium, patriâ Litomiſslenſis, prout videre eſt apud Cochlæum pag.34.qui inConciliis Conſtantienſi, ac Baſilcenſi multū adverſus Huſſitas laboravit, ac proinde poſtea hæreſi jā totam Boëmiā occupante à ſummo Pontifice datus eſt Boëmiæ Archiepiſcopus,aut ſaltem Archiepiſcopatus adminiſtrator, Hic etiam prælio Huſſitas aliquoties fugavit armatus ipſe Dux.

Sed & magna apud DEUM Ioannis Archiepiſcopi Pragenſis Ordine tertij (cuius ſuper Caroli 4. Cæſaris obitum extat Oratio

Oratio funebris) merita fuisse opus est, utpote cui Deus revelaverat Hussiticam illam hæresim in Boëmia propediem exorituram, tantamque proborum subsecuturam internecionem, & omnem Cleri gloriam interituram, bonaque Ecclesiastica in manus & possessionem Laicorum deventura. Quorum futurorum tristissimo nuncio exterritus, Archiepiscopatu cessit, alteri, ipseque se Romam contulit, DEUM, sanctosque Apostolos pro Boëmiæ salute deprecaturus, ubi ad S. Praxedis ordinem Benedictinum ingressus est, ac circa annum Domini 1396. diem obijt.

Huius verò antecessor Ioannes cognomento Ocellus, prius Episcopus Olomucensis, primus inter Archiepiscopos Boëmiæ dignitate Legati nati ab Vrbano summo Pontifice ornatus, magnis effulsit virtutibus, atque imprimis studio humilitatis, quà munus Archiepiscopale vehementer subterfugit, ita, ut nullis Caroli 4. Cæsaris, aliorumque Principum precibus ad illud accipiendum adigi potuerit, opusque fuerit summi Pontificis nutum implorare, cuius voluntate cum tandem dignitatem illam suscepisset, ne honore illo animus aliquando tumidus humilitatis obli-

viſceretur, templū ac Hoſpitale Pragæ ſu[i]
VVisegrad ad ripā torrentis Boticz erexit,
cui titulum dedit: *Humilitas B. Virgini[s]*
Mariæ: voluitque illud eſſe receptaculum
illorum hominum, qui priſtinis ſuis for-
tunis caſu aliquo excidiſſent, & in pauper-
riem fuiſſent delapſi. Tantæ autem in loco
illo dabantur Eleëmoſynæ, ut plebs Hoſpi-
tale illud communi vocabulo appellaret,
panem pauperum; ſed & aliud Hoſpitale S.
Antonini in Srahovv olim jam à S. VVen-
ceslao inſtitutum, rurſus, ſed ſolum pro
pauperibus ſtudioſis & Sacerdotibus ere-
xit, & dotavit. Cenſus prætcrea inſtituit
perpetuos, pro miniſtris templi omnium
ſanctorum in Arce Pragenſi ea lege, ut in
templo illo Miſſam de Beatiſsima Virgine
quotidie decantarent, multiſque alijs etiam
in Silesia, & Luſatia piè conſtitutis obijt,
Anno 1739. id eſt eo ipſo anno, quo VVen-
ceslaus Piger gubernacula Boëmiæ poſt
obitum Patris ſui Caroli quarti ſuſcepit.
Vulgatiſsimum illum de ſancto VVences-
lao hymnum Boëmicum: *Svvatus VVa-*
clavve. Ipſe etiam compoſuit, & canenti-
bus indulgentias conceſsit 50 dierum.

Sed nec minorum virtutum laude com-
mendatur Ioannes huius nominis quartus,

Boë-

Boëmiæ Episcoporum vigesimus septimus, & ultimus, cui Ernestus successit, primus Archiepiscoporum Pragensium.

Is Canonicos Regulares S. Augustini primus induxit in Bohemiam, eisque Raudnicij Cœnobium sub titulo B. Virginis instituit. Vbi & Hospitale pro pauperibus munificè erexit, ad pedem pontis, quem ipse curavit fluvii Muldavæ imponi in gratiam pauperum itinerantium, ne trajectoribus ultra naulum pendere cogerentur. Sanctæ Marthæ fuit cultor singularis, cujus festum voluit in sua Dioecesi etiam in foro celebrari. Obiit Anno 1343. Pragæ templum S. Ægidij fundavit, & quoad vixit ædificavit, sepulchrum S. Adalberti Pragæ laminis argenteis vestivit.

Atque ut Pragensium omnium, usque ad Hussiticam Hæresim Archiepiscoporum series magis innotescat, cum ea apud paucos Autores integra inveniatur, eam hic subijcio.

Ioannes quartus ultimus Episcopus Pragensis.
Ernestus Primus Archiepiscopus.
Ioannes quintus.
Ioannes sextus.

VVolbramus.

Nicolaus Pruchuicus.

Zbinko de Hazmburg.

Albicus VVenceslai Pigri medicus

Conradus VVestphalus.

Ioannes de Praga, Episcopus Litomisslienſis,

Rebus turbatiſsimis Gubernator, Archiepiſcopatùs Pragenſis.

Philibertus Conſtantienſis Epiſcopus, qui Barbaram

Imperatricem Pragæ coronavit poſtea Archiepiſcopus, aut ſaltem adminiſtrator Eccleſiæ Pragenſis conſtitutus.

PRæter ſupra ex Cochlæo nominatos Huſsij Antagoniſtas numerat, etiam VVenceslaus Hagek alios ex Academia Pragenſi, qui naſcenti illi immaniſſimæ Huſſitarum hæreſi ſeſe acerrimè opposuerunt, ut Magiſtrum Marcum eo tempore Vniverſitatis Rectorem, Doctorem Lunam, qui Ioannem Huſs, ut à cæptis deſiſteret, eſt publicè cum lacrymis deprecatus. Doctorem Volk, Doctorem Gbel, Doctorem Leræo, quem ob publicè ab eo adverſus perfidam Hussium acriter dicta, rabida plebs

plebs in ipso Academiæ magno atrio lapidare, & interficere parabat.

Refert Cochlæus l. 3. Hieronymum Pragensem Husſij in hæresi socium in Magistros & Clericos Boëmos Hussio cōtrarios, vi, incarceratione, bonorum direptione, alijsque modis grassatos esse. *Quendam honestum virum* (verba sunt Cochlæi) *Cultellificem Pragensem, fecit capi, incarcerari, in mediastino verberari, atque illic ligatum crudeliter vexari, putridis ovis peponibus, luto, lapidibusque immissis, & in eum projectis, tanta sanè projectorum vi, ac multitudine, ut ille projectionibus illis obrutus interierit, ac mortuus sit. Fratrem Nicolaum Ordinis Carmelitarum, Concionatorem Monasterij S. Mariæ in arena ob eandem causam, manu violenta fecit extrahi simul cum duobus alijs è monasterio, & Captivos abduci ad judicem novæ Civitatis Pragensis. qui duos illos, haud secus ac fures in publico detinuit carcere. Nicolaum vero domi in privato carcere tenens, diversis tormentis excruciavit. Cum non posset Nicolaum illum ad revocandum ea, quæ contra doctrinam VVikleft dixerat, compellere, fecit eum educi ad flumen, ut submergeretur. Projectus itaque ille è navi in Moldavam, submer-*

mersus usque periisset, nisi clientis cujusdam auxilio ereptus fuisset.

Anno D. 1411. Post Octavas Penticostes, quendam Indulgentiarum prædicatorem captum curruicum Meretricibus (ad quarum Mammas Indulgentiarum libros suspendit) imposuit, Pragæ, eumque toti Civitati illudendum circumvexit, ac tandem illius literas publicè combussit, assistentibus armatis Vikleis pluribus & currum stipantibus, ne quis suppetias ferret.

De Carmelitis illis apud eundem Cochlæum lib. 3. Iacobus Episcopus Laudensis in sermone ad prædictum Hieronymum coram universo Concilio Constantiensi Anno 1416. 30. Maij sequentia dixit: *Non pigeat te meminisse illorum Sanctorum virorum de Praga Carmelitarum, quorum Prædicatores capi, & Monasterium spoliari, vos, in animarum vestrarum perniciem, procurastis.*

Tanta rabie suo statim initio hæresis Hussitica est grassata.

Quamvis autem turpissima hæc hæresis dominatum postea obtinuerit in Boëmia, Capitulum tamen Canonicorum Ecclesiæ Pragensis Metropolitanæ mansit semper DEO & Ecclesiæ fidele, semperque hæreticis, ut potuit restitit, prout appares etiam

ex

ex acerrima illa disputatione apud Henricum Canisium in antiquis lectionibus typis vulgata, habita in Arce Pragensi A. 1465. á 2. Februarij per dies aliquot, vbi coram Georgio Rege Proceribusque Boëmiæ, fortissimè, doctissimeque Ioannem Rokyczanam, & VVenceslaum de Krumnau, Hæreticorum Antesignanos refutavere Doctor Hilarius de Litomierzicz capituli Pragensis Decanus, & Doctor VVenceslaus Krzizanovvsky præclari veritatis Catholicæ propugnatores.

Fuerat autem hic ipse Krzizimovvsky prius Anno D. 1456. In Academia Carolina Pragæ Decanus Philosophiæ, quando post bella Hussitica videbatur spes affulgere Academiam illam ad Ecclesiam reducendi: ad quod & ipse diligenter est cooperatus, adeoque ingeniose quædam ad id excogitata cautè & secretò ordinationibus Accademicis inseruit, & secreto inscripsit, quæ tamen à quibusdam oculatioribus hæreticis tandem deprehensa, fuerunt Authoritate publicâ Anno D. 1458. 26. Iunij deleta & expuncta, Mansit ille nihilominus in Academia illa rem Catholicam quocunque modo promoturus, donec ad Annum 1460. Quando Academia illa literis publi-

cis

cis evulgavit, *Sacram communionem dan-dam esse plebi promiscue sub utraque, id-que esse de necessitate salutis*; tunc enim literis illis assentiri cum multis alijs viris Doctis noluit, seque ab ea Academia peni-tus segregavit, quem secuti sunt Ioannes de Krczin Medicinæ Doctor, Magistri Sta-nislaus de VVelvara, Nicolaus de Horzep-nik, Valentinus de Rakovvicz, Georgius dë Antiqua Praga; qui omnes ab ea Acade-mia penitus recesserunt, cum viderent se adversus torrentem nihil proficere, siqui-dem etiam Rex Georgius Hæreticis adhæ-rebat.

Anno deinde 1466. Paulus Papa secun-dus Georgium regem excommunicavit, agentibus præcipuè Doctoribus supradi-ctis: atque tunc ad arma à Catholicis con-cursum est, suppetias mittente Cæsare Fri-derico, Matthia rege Vngariæ, alijsque multis Principibus, quarum omnium co-piarum Generalis adversus Hæresim Dux ab eodem Papa est declaratus Zdenko Ba-ro de Sternberg, quem in Boëmia præci-puè adjuvêre Barones Rosenses, Hazmbur-gici, Kolovvrat. &c. ac Civitates, Pilsna, Budvvicium, Iglavvia &c. Duravitque gra-vissimum hoc bellum toto septennio.

Quam-

Quanquam & naſcenti ſtatim hæreſi illi multi magnates Boëmiæ armis occurrere ſint conari, quorum multi non ſolum magnas ob id ærumnas ſubiere, verum etiã bonorum, quin & vitæ ac ſanguinis fecere jacturam, ſiquidem ex ſolo Stemmate Sternbergico quatuor omninò Heroës in vna illa Sigiſmundi Cæſaris ab Hußitis ad VViſſegrad clade pro Deo, Eccleſia, & Cæſare ſuo fortiter pugnantes occubuere.

Primus autem qui rabidæ Huſſitarum ſectæ armis auſus eſt occurrere, fuit Petrus Baro de Sternberg, Ordinis melitenſium in Boëmia Prior, qui (ut habet Cochlæus) in primo quidem æquo Marte cum eis conflixit, altero verò prælio (teſte VVenceslao Hageko) eos graviter afflictos cecidit tantâ clade, ut Dux eorum Ioannes Ziſka vix ſolus, & ab alijs omnibus avulſus fugâ fuerit relicto equo pedes per denſa Sylvarum elapſus. Deinde verò hic ipſe Heros Sternbergicus in clade VViſſegradenſi pro Catholicæ Fidei defenſione glorioſus occubuit.

Sed & conſequentibus deinde temporibus Hæreſi illi ſeſe varij oppoſuere ſæpius, ut & Doctor Paullus Zidek qui Maximas per-

perpessus ob Fidem Catholicam persecutiones, extremam redactus ad inopiam, nunquam tamen cessavit adversus Hussiticam hæresim depugnare, Georgiumque Podiebradium Hæreticum Boëmiæ regem, in cujus aula [illegible] versabantur, conatus est omni studio ad obedientiam S. Romanæ Ecclesiæ reducere, scripto etiam ob id grandi ad eum volumine, in quo, tametsi manifestum ob id vitæ adiret discrimen, non tamen dubitavit perfidiam, hæresimque regi illi palam exprobrare, & salutis æternæ certum naufragium, ni resipisceret, declarare, adeò, ut eidem palam professus sit, se à Catholica Fide non recessurum, cùm à rege illo, aliisque Hussitis esset in plateis Pragensibus publicè diris flammis [illegible]dus.

Meretur etiam hic à virtutis gloria celebrandis viris accenseri jure optimo Clarissimus Imperator Carolus IV. Sed vita ejus typis aliàs excusa est: Quanquam virtutes ejus ac revelationes, ei cælitus concessæ, aliaque ab eo piissimè gesta dicta, & scripta volumen implerent.

Ladislaus item Boëmiæ Rex Alberti secundi Cæsaris Austriaci Filius, magnam habet à pietate & zelo, adhuc famam, qui

auream suam Cæsariem dicitur moribundus SS. Virginis honori dicasse: Fortè post obitum præscindendam, nam (prout ab eis, qui corpus eius in Mausolæo regum Pragæ aspexere, accepi) is Cæsariem suam elegantem, etiamnum in sepulchro retinet integro corpore mirabilis.

Quodsi & illos, qui non ortu, sed habitatione possunt censeri ad BOËMIAM aliquomodo pertinere respiciamus, Illustrarunt BOËMIAM sanctitate sua, viri è Societate IESU permulti, inter quos P. Petrus Canisius, vir ob sua in Ecclesiam per Germaniam merita celeberrimus, qui Societatem nostram primus in BOËMIAM induxit.

P. Edmundus Campianus primus postea in Societate nostra in Anglia à Calvinistis in odium fidei suspensus, cujus sanctitatis tanta fuit æstimatio, ut cum de eo occiso fama has in Provincias venisset, serenissimi Austriæ Archiduces Leopoldus & Carolus Pragæ cubiculum, quod Pater ille, dum Rhetoricam profiteretur incoluerat, ingredi voluerint, ubi genibus flexis in pavimento positis locum sunt venerati. Henricus Ortonus verò, Cæsareus orator

ex

ex Anglia redux idem cubiculum ingressus, pavimentum illud, quod, P. Edmundus quondam calcaverat, abjecto in terram corpore est osculatus.

P. Paulus Hossæus Collegij Pragensis Rector secundus vir à virtutibus laudatissimus.

P. Dominicus Valesius Crumlovij sepultus cuius virtutes benè longâ serie sunt non nemine scriptis commendatæ.

P. Nicolaus Forrentinus, cuius (ut & duorum ibidē aliorum è Societate nostra) corpus ab annis plus quam sexaginta jacet incorruptum Brunæ in Moravia.

P. Nicolaus Lancicius, cujus sanctitatem multi suspexere. &c.

P. Martinus Stredonius Anno 1649. in officio Provincialis defunctus, ejus laus in ore multorum adhuc est.

Sed & viri alij sanctitate Illustres Boëmiam nostram adivere, ex quibus P. Laurentium à Brundusio Cappucinum virum sanctissimum Pragæ fuisse concionatum P. Raderus S. I. in sua Bavaria pia refert,

Beatum item Bertholdum Franciscanum Ratisbonensem, qui circa A. D. 1270. Boëmiam concionibus suis sanctissimis animavit

vit, in qua habuit ad Populum Slavvicum linguæ Germanicæ ignarum interpretem F. Petrum, cognomento Odozincium, qui sepultus est Glacij; Vbi etiam F. Bertholdus prædicavit in campo sub Tilia quæ usque hodie dicitur *Bertholdi*. Fuit autem hic B. Bertholdus Prædicator tam gloriosus, ut aliquando centum millia Auditorum haberet, atque in quadam ejus concione Fæmina vi contritionis mortua, vidit 60. Millia tunc mortuorum ire ad Inferos, tres ad Purgatorium, vnum quendam Franciscanum in Cælum, qui tamen duas alias è Purgatorio animas secum eduxerat. Obijt Ratisbonæ 1272. 14. Octobris.

Ad A. 1611. Hæretica Pragensium Hussitarum Plebs, quâ die Serenissimi Leopoldi Archiducis Austriæ Passaviensium Episcopi miles minorem Pragam violentus occupavit, ipsa cænobia Catholica in veteri ac Nova Praga aggressa, cùm eam cohorte sua quidam Dominus VVratislavv ab insultu quem in Collegium Societatis IESU per Collegium Convictorum parabat, repulisset, in Cœnobium B. Virginis in Carlovv Ordinis Canonicorum S. Augustini irruit, & quos ibi Religiosos invenit occidit. Præcipue tamen bacchata est in Monasterium *B.* Vir-

B. Virginis ad Nives Neopragæ vbi re
omnibus direptis, temploque spoliato q
tuordecim Franciscanos discalceatos i
maniter trucidavit, non nullis eorum
turri templi datis in præceps. Nomina e
rum sunt.

P. Fridericus Bachstein Pomeranus,
P. Ioannes Martinez Hispanus,
P. Simon Gallus,
F. Bartholomæus Italus Bergomensis
F. Hieronymus, Clericus Italus.
F. Gasparus à Vareno, Clericus Italus.
F. Iacobus de Augusta, Clericus Germa-
nus.
F. Clemens, Clericus Germanus
F. Christophorus Grandæus Laicus Ger-
manus.
F. Ioannes Clericus Novitius Germanu
F. Antonius Laicus Novitius
F. Ioannes a Monte piano, Italus, Laicu
F. Didacus Laicus, Germanus
F. Ioannes, Clericus Germanus.

CAPVT

CAPVT. VI.

Catechetica.

ANno 1640. Civis quidam Suesionensis erat, qui quotidie indulgebat haustui vini cremati, ut vocant. Eoque consuetudinis in bibendo progressus fuerat, ut nequidem vnâ die abstineret: Videreturque sibi mortem oppetendam magis eligere posse, quam consuetum haustum omittere. Accidit autem illi die quadam visio; astitit enim quidam puerulus candidissimus, qui illum hortari cœpit, ne unquam posthac prædictum haustum degustaret: Quod ipse se facere posse negavit, eò quòd abstinere ab eo diffideret: Ad quod cum perpetuò tribus diebus & noctibus urgeretur, quasi prædictum puerulum semper conspiceret promittentem, quòd facile servaturus esset promissum, dummodo promitteret: Et cum nihilominus reluctaretur, in tantam debilitatem corporis & animi devenit, ut penè rationem amittere videretur. Quare tandem se resolvit, & juramento suum votum firmare constitit fuit, Tunc apparuit virgo cum infantulo, qui præ gaudio

gaudio ex ulnis virginis exilire videbatur. Voto & juramento emisso facilè abstinuit ab haustu, mirante totâ Civitate, ex tam potatore tam abstinentem à vino cremato subitò factum; qui in hodiernum diem profitetur, se non accepturum totum mundum, ut vnicum minimum eiusmodi haustum biberet, in quo ante valdè intemperanter se gessit.

Anno aliquo post 1620. Kynslovvicii in Dominio Krzivvoklatensi quidam fictus Catholicus voluit balneare in piscina Festo S. Viti Martyris, & cum illum alii monerent, ne id faceret die Festo, contempsit festum illud, tanquam parvi momenti submersus ergo fuit: & multo labore tandem mortuus, totus niger fuit inventus.

Alius eodem in Dominio volens aliquid die Dominico consuere, oculum sibi subula effodit.

Alius ibidem festo quodam sanctissimæ virginis volens laborare, ex cumulo fœni decidit ferè occisus.

Eadem die alter ex curru onerato fœno capite in terram cecidit, statim occisus.

Testes harum rerum sunt D. Ioannes Horn Capitaneus Dominii, & cum illo maior Dominii illius pars.

Dominus

Dominus Iacobus Sternbersky Parochus in Radomiſsly indixerat omnibus parochianis, ut moribundi Sacramentis ſe munirent, alias carituri ſepultura Eccleſiaſticâ. Promittebat etiam, ſi id facerent, experturos eſſe magnum quoddam bonum. Quare qui id fecerunt, ſanati ſunt; obidque alii infirmi idem factitant, & pauciſsimi moriuntur, ſed fere omnes ſanantur.

Poſt Boëmiam ab Anno 1625. Et conſequentibus annis Eccleſiæ reſtitui cæptam non longe à Civitate Colinenſi contigit, quod ſequitur. Cum omnes adhuc illic eſſent hæretici, Capitaneus Catholicus mandavit, & promulgari curavit, ut feſtum Aſſumptionis B. Virginis omnes diligentiſſimè celebrarent. A meridie autem diei illius Feſti cum nobili quodam Polono ad campos Eques prodit viſurus, num qui in agris laborarent. Et ecce tres Fæminæ culmos Canabis extrahebant ex terra. Quare illi Equites admotis equis calcaribus ad proximum Pegum properarunt, mandaturi Iudici, ut eas ad cippum acciperet. Cælum erat ſerenum, lucidum ſinè ullo vento, & nubecula; Et ecce perſtrepere nihilominus cæpit, tum nobilis Polonus: *Tange tange tonitru* clamare cæpit.

Sed

Sed compescuit illum Capitaneus verbis gravibus & piis: Tum ille: *opto ego*, inquit, *hoc hæreticis Festum violantibus*. Et cum hæc loquuntur, fulmen cum maximo strepitu cælo sereno tangit prædictas Mulieres. Adussit illas non nihil, quæ in pœnam sui peccati Manipulos canabis intra genua habebant, iacentes exanimes, signum vindictæ DEI. Et ita prædicti nobiles in pago mandarunt, non ut eas vivas vinculis traderent, sed mortuas sepulturæ. Sic violatores Festorum puniuntur. Testes huius rei sunt Dominus Krizl Capitaneus, & alii.

Colinii erat vir senatorius, nomine Ioannes Przibramsky, qui de seipso sequentia adhuc acatholicus, nobis multis præsentibus, narravit. Invitatus fuit à Prædicante hæretico eiusdem civitatis Pseudoparocho feria 6. cum aliquot aliis honestis viris ad prandium. Et data est illis primùm recens pinguis assatura, cuius primum bolum cum gustare prædictus Ioannes vellet, etiam ori admoveret, ecce fætor intolerabilis nares eius invasit, ita ut indignabundus bolum abiiceret, & causam sociis cum nausea exponeret. Sed tanquam infanus ab iis irrisus fuit; quia sciebant

carnem recentem; imo optime aliis omnibus ſapiebat. Sed ille nullam aliam cauſam huius fœtoris invenire poterat, niſi quod DEUS illum moneret, nè comederet carnem, eò quòd eſſet feria ſexta, memoria Paſsionis Domini. Quare promiſit DEO ſe nunquam feriâ ſexta carnes comeſturum. Alio tempore idem illi accidit die Sabbati apud honeſtum civem: Vbi cùm iuſculum carneum ori apponeret, ſimilem fœtorem expertus, cùm alii nihil ſimile ſentirent, eodem modo promiſit DEO, ſe ſabbato abſtinentiam à carnibus poſtea ſervaturum.

Horazdiovvicii vir ſenatorius Ioannes Laubsky die feſto Patroni ſui S. Ioannis Baptiſtæ aliquid laborans in domo ſua trabem quandam amoliri conabatur: Sed ipſa mirabiliter elevata caput ipſius circa tempora ad alteram trabem ita appreſsit, ut inde graviter decubuerit, & vnum oculum amiſerit Teſtes maior pars Civitatis.

Anno Domini 1634. die 15. Decembris in Nalzovv Domini Ferdinandi Sſvvihovvsky pago, circa horam noctis tertiam vna ruſticana domus incendio fuit abſumpta. Conjuncta autem illi fuit valdè, altera domus,

& juxta ignem ferventer ardentem mu-
tum fuit straminis: Sed cùm Agnus DE-
cerens in id stramen projectus fuisset, sta-
tim ignis cessavit, quasi suam naturalem
vim amisisset. Quod factum mirati, &
adhuc mirantur omnes, qui aderant, ut &
ipse Illustrissimus D. Ferdinandus, P
Franciscus Ordinis S. Francisci Conven-
tualis, familia Domini, & plerique ex pa-
go Rustici.

Horazdiovvicij quidam furiosus venit i
Domum Capitanei D. Danielis Malkovv-
ky, & cœpit more suo insanire. Capitane-
us affixit occultè illi Agnum Dei, & ill
statim pacificatus fuit.

Anno Domini 1634. in Pago Dozick in
Districtu Prachensi ortum fuit incendium
in domo rusticana propè Castellum, illic
existente, Domino Bohuslao Chanovvsky.
Contigit id circa Festum Conversionis S
Pauli, non potuit statim Agnus DEI inve-
niri; vbi tamen inventus in ignem conje-
ctus fuit, statim cœpit ignis minui, &
paullò post cessavit.

Idem accidit eidem Domino in Pago
Budieticz A. 1645. circa festum S. Marti-
ni.

Anno

Anno 1638. 44. Aprilis, Dominicâ. *Quasi modo geniti*, seu *in Albis*, quidam operarius, cognomine Autlicky Clatoviæ, cum haberet propositum prædicta die confitendi, & communicandi perrexit ad templnm: & ecce bonus socius, nomine VVenceslaus Kolesa, molitor occurrit, rogatque ut omissâ templi visitatione, confessione, & communione, secum pergat ad domum quandam in suburbio dicto *Hospitabense*: Vbi vinum, & vinum crematum potitando suppeditante pecuniam dicto VVenceslao Kolesa, bene immaduerunt. Interea omnibus divinis in Ecclesia peractis, Helluones illi mensæ assident, & primo bolo carnis bubulæ Autlicky strangulatur, & à mensa cadit in terram mortuus. Fuit magnus accursus populi. Multi dixerunt pœnam esse DEI, quòd ille divinis omissis, ventri potiùs servierit. R. Dominus Decanus enm in loco sacro sepelire noluit. Testes huius rei sunt, ipse D. Decanus, & maior pars Civitatis.

Anno Domini 1634. 14. Decembris. Obiit Ioannes Achilles Horazdiovvicensis Patriâ, civis Clatoviensis, qui aliquando

in Monasterio Horazdiovvicensi, inter Picardidas Boleslavienses, quasi quidam Diaconus fuerat. Is cum in illis tenebris adhuc versaretur, (ut de se dicere solebat) more illorum hereticorum sive ex consuetudine, sive ex contemptu Ecclesiæ, promiscuè etiam quavis feria sexta memoriæ Passionis Dominicæ dicatâ carnes, comedere solebat. Accidit autem quodam tempore, dum prædicta die carnem scinderet, ad manducandum, ut adverteret os quoddam interius in ea carnis parte latere; quod inde exscindens reperit osseam miraculosam esse crucem. Agnovit monitionem Crucifixi DEI, & ab illo die feriâ sexta carnem nunquam comedit. Crucem autem illam multo tempore inter suppellectilem suam argenteam habuit, quæ tandem vnà cum argento accepta illi fuit à militibus.

R. Dominus Andreas VVinter Parochus in Civitate Pergreichstein, vir pius, narravit, cùm in illa Civitate per varia maleficia quædam Matres Familias, neque lac à suis vaccis habere, neque vitulos educare possent, consilio sui Parochi sale sacro, & aqua lustrali uti cæpisse, & sentire etiam [illegible] optimum & præsentissimum remedi-

medium. Quare illæ, & aliæ, ad eadem sacra in omnibus suis adversitatibus frequenter recurrunt.

Idem Parochus administrabat alteram Parochiam in oppido Hertmaniez, vbi oppidani diebus festis, neglectis divinis & templo, potationibus & ludo operam dare solebant. Quodam die Dominico cum nullus virorum illius oppidi in templo, comparuisset, sed haustibus & ludis vacarent, Parochus cum admiratione in illos invectus, severè denunciavit, illos brevi scelerum suorum pœnas laturos. Et contigit non multò post, ut maxima pars oppidi flammis ultricibus conflagraret, & ita planè omnia usque ad terram exusta sunt. Eoque major divina ultio fuit, quod propter occupationes in agris non nisi ferè pueri domo erant; & quamvis parentes statim ad exortum incendium velociter Domum properassent, tamen quasi intra quadrantem vnius horæ, mediam partem oppidi vorax flamma absumpsit. Ita DEUS sacrorum suorum contemptum, & contemptores vindicare solet.

In civitate Zialecensi erat vidua annosa valdè dives, nomine Anna Grilovva, quæ cùm in varijs cistis asservaret pecuniam, &

jam præ senio cæca esset, domi autem suæ duos domesticos haberet, factum est, ut vel ipsi domestici, vel etiam alieni ipsi occultè subductis clavibus ex cistis subtraherent pecuniam; Advertit illa tandem defectum, & vehementer indoluit. Observavit hoc antiquus hostis, & tribus diebus illam ad desperationem sub prætextu magnaminitatis incitabat. Proposuit, quam olim gloriosu, dives, & felix fuisset vivente VVarito, & nunc famosa esse posset, si cultrum ventri suo infigeret; sic enim fore ut nomen ipsius ita morientis vbique divulgaretur. Fecit illa tandem; sed quia culter brevis, & venter pinguis fuit, abdomen non penetravit, neque ilia læsit. Quod conspiciens parvus puer domesticus, accurrit, & dentibus cultrum extraxit. Mulier fidem Catholicam suscepit & pœnitentiam egit. Vixit deinde satis diu sanata. Testes huius rei tota civitas, & ego ipse qui tunc Ziatecij adfui in reformatione religionis.

Contigit Pragæ ad tabulas Regni, dum ijs præsideret vice Iudex Dominus Ioannes Henricus Chanovvsky, qui hæc subsequentia retulit. Vir erat equestris Ordinis, ætate grandævus, qui definitione Iudicum, aut caussà cadere, aut suam sententiam ju-

stam

ſtam eſſe juramento confirmare compellebatur: Quamvis & ille, & Iudicij Aſſeſſores privatâ notitiâ non ignorarent, eum falſam cauſſam tueri. Nihilominus homo perivrus ſuam pertinaciam jureiurando confirmare voluit. Dum igitur hoc ageret, manum dextram elevavit, ſed breviſsimo tempore erectam tenere non potuit, quin ſiniſtram in auxilium dextræ adhiberet, ſed neque eâ ratione eam erectam retinere potuit, quin tremeret & vacillaret. Inſuper etiam ut *falſarius* vix medio anno in vita ſuperfuit, præmatura morte ſublatus.

In Pago Hradiſotic. ſubdictus D. Alexij Chanovvsky feſto Divi Martini ocreas reficiebat. Quod cùm conſpiceret vir quidam pius, eum admonuit, videret, quid ageret, non licere feſto celebri S. Martini ſervilia opera exercere; cui is ſuperbe reſpondit. *S. Martinus mihi ocreas non reparabit*: Sed ecce paullo poſt ſibi ipſi, neſcio quo caſu, oculum ſubula eliſit.

Illuſtriſsimus D. Franciſcus Baro à Sternberg rem aliàs notam de ſe ipſo narravit. dum eſſet infantulus, in curiâ obſtetricis umbilicum ita malè habuit affectum, ut computruerit, adeò ut medici de vita ipſi-

us desperarent. Vnde humanis medijs deficientibus, Domina Mater Comitissa ab Hohenzollern ad divina confugit. Erat Pragæ, vbi tunc morabantur, in templo Salvatoris PP. Societatis IESU imago S. Ignatii, quondam à Philippo Spinello S. R.E. Cardinali (in cuius insignibus 6. Stellæ radiant) Anno 1603. Curata, ad quam ceræ votivi applicantur, & lumina multa micant, & per B. Ignatij intercessionem multi recuperant ex varijs morbis sanitatem. Eo igitur prædicta Domina confugit, lampadem tam diu ibi arsuram posuit, donec filiolus convalesceret; & sanitatem optatam Filio quamprimum impetravit. Quotiescunque ergo Medici puerulum tractabant, toties puerulus dormiebat, ut nullum dolorem ab attrectatione sentiret. Mirabantur medici & disertè fatebantur impossibile fuisse humana arte, & manu infantem juvari, id solius DEI opus esse, atque adeò magnum miraculum, quòd puer sanatus fuerit.

Anno 1639. in Pago Lazianeck Domini Domini Ioannis Genischek, quidam rusticus sat senex Dœmonem per aliquam imprecationem nominavit, ut moris est in ea gente. Contigit autem vespere, cum jam

jam lumen extinxiſſent, & cubitum concederent, auditus in area ſtrepitus fuit. Timebant in hypocauſto putantes milites adventare. Et ſubitò patefactæ fores hypocauſti & lumen reaccenſum oſtendit tres intrantes in illud cubiculum ſpecie tenus inſignes milites, quorum vnus reſedit, & liripipio muſicam exhibuit, alijs duobus ſaltantibus: Poſt ſaltum vnus innixus humero junioris uxorati Patris familias, cum uxore illius jam dormiente aliquid cæpit loqui; Monuit illum prædictus Pater familias, ut abiret vias ſuas, cum nihil haberet ad agendum in domo illius. Et tunc dixit vnus illorum ſeniori Patri familias. *Recordare, quid proximè fueris locutus, non manebis diu hic*: Et ſtatim abiverunt; Lumen etiam per ſe extinctum fuit; humerus autem ruſtici, cui dæmon innixus fuerat, valdè niger apparuit, ut & uxoris alterum uber eadem nigredine tinctum.

Appendix.

ANno Domini 1638. in menſe Iunio in Civitate *Zitavvienſi* in Luſatia hoc contigit, quod referam. Erant illic milites ſaxonici, quorum quidam obſerva-

vit certum hominem centum florenos accepisse, & cum illis peregrè proficisci. Quare prævenit illum, & in quadam silva spoliavit. Vir ille rediit in Civitatem & accusavit militem de furto. Miles coram suo Capitaneo negabat jureiurando, & dæmoni se devovebat: Dum ergo sic contendunt, ingreditur conclave Capitanei quidam, ut apparebat, politus miles rubeo indutus pallio. Offensus autem Capitaneus quòd injussus illius intrasset, illum obiurgabat. Respondit se nunquam intraturum fuisse, nisi vocatus fuisset, & sub tò pallium ad mensam posuit, & elevans militem concutitur, & ecce pecunia, quam adhuc secum habebat, in terram excidit; & dæmon relicto pallio animam cum corpore accepit: Corpus tamen ipsius postea repertum fuit in silva eo loco, ubi illum miserum pecunia spoliarat. Exemplum contra mendaces & periuros, Domini Locuntenentes S. C. M. Pragæ ex Lusatia scriptum acceperunt.

Auctarium.

ANno 1503. Cum Feria quinta maiori seu in Cæna Domini, quidam Equestris Ordinis homines non procul Boemi Brod

Broda ad Pagum Cluczìovva 13. Aprilis venarentur mane, aër subitò in nubem coaluit, fulmenque erupit, quod famulorum vnum cum equo occidit, in cuius rei memoriam eo in loco lapis est erectus.

Anno 1512. Hoc miraculum ad S. Benedictum in Hradczan Pragæ contigit, prout in templo illo est depictum, ac descriptum sequentibus verbis.

Eò tempore quo sanctarum reliquiarum Pragæ memoria recolitur, ipso die S. Georgij Proceres Regni volentes Prædones viarum, quorum plerique fuêre Nobiles, exterminare, mandarunt ex illis duos Equestris Ordinis in loco Rohozelez dicto palis transfigi: unum eorum, cui Chlewecz nomen, palus juxta humeros capite salvo permanente penetravit: is verò devotè sese usque ad vesperam Deo commendabat. Subsequente autem nocte palus, quo trajectus fuit in parte inferiori iuxta corpus, fractus, quocum repando pervenit in Raczin usque, atque in fimeto requievit. Manè facto surgens, statim penes templum sancti Benedicti (quod modo à Patribus Clericis Regularibus S. Pauli Apostoli, vulgo Barnabitis, ex clementissima sacræ

cæsareæ

cæsareæ regiæque Maiestatis Ferdinandi II pientissimæ memoriæ ad *humilem* Eminentissimi Principis Cardinalis ab Harrach Archiepiscopi Pragensis pro iisdem Patribus apud suam *Maiestatem* cæsar: Factam intercessionem donatione, à sacra cæsarea, Regiaque Maiestate Ferdinando III emanata benignissima confirmatione, vna cum dicta domo, ut potè ex ruderibus post factam conflagrationem, impensis dictorum Patrum *A*: 1625. restauratum possidetur) sitam, ingressus est vocavitque sacerdotem ex templo Metropolitano Pragensi, cui peccata sua devotè confessus est, ac retulit, se absque confessione, atque corporis, ac sanguinis Christi sub una specie iuxta ritum sanctæ Ecclesiæ, communione mori non potuisse ideò; quod fide Christianâ hunc morem habuerit, orare quotidie in honorem DEI omnipotentis, vnum *Pater*, & in honorem B. V. Mariæ, vnum *Ave Maria*: Et in honorem S. Barbaræ Virginis & Martyris vnam brevem Orationem, & quod ab illo tempore eam spem & fidem habuerit, se propter hanc in *S.* Barbaram devotionem, ac ipsius intercessionem, absque Sacramentis non moriturum.

Quæ-

Quæſivit ab eo ſacerdos, quænam eſſet hæc oratio eam ſibi indicaret. Reſpondit hanc eſſe.

Domine Deus omnipotens, rogo te ut interceſſio Sanctæ Virginis & Martyris tuæ Barbaræ, ſemper mihi ſit auxilio, ne ſubitaneè moriar, ſed antè diem mortis meæ Sacramentis ſalutaribus muniar, & ab omnibus inimicis meis, viſibilibus, & inviſibilibus protegar, atque à malignis ſpiritibus defendar, & ad gratiam vitæ æternæ perducar per Chriſtum Dominum noſtrum Amen.

Hæc ſacerdos audiens venerabile Sacramentum illi porrexit, quo accepto eodem die, non multò poſt è vita migravit, & penes templum S. Benedicti multis lacrymantibus ſepultus eſt.

Olomucij in Moravia quædam quod infantem ſuum occidiſſet, aquis adjudicata, ſuffocari in eis non potuit, eò, quòd ſanctam Barbaram Martyrem quotidie invocâſſet, donec ad templum S. Blaſij adducta, peccatis per Sacramentum Pænitentiæ Poſitis, ſacratiſſimâ ſynaxi fuiſſet refecta. Hinc in templo illo hodieque Altare S. Barbaræ, & magna ad eam Olomucenſium devotio.

Iuxta Albim quinque milliaribus infra Pragam, silva est cuius ligna omnia sunt curva, id quod divinitus accidit, hac occasione Cum fundos illos Laici sub tempore Hussiticæ hæresis occupâssent, qui prius ad Archiepiscopum Pragensem pertinebant, velletque non nemo Territorij illius Possessor ad Arcis ædificium ligna silvæ illius adhibere, omnes silvæ eius arbores divinitus sunt incurvatæ, ut nulla earum ædificio esset utilis: atque in rei huius memoriam Deus voluit, ut hodieque silvæ huius arbor nulla recta inveniatur.

Sed & Silva alia Vetero-Boleslaviæ proxima, nullam dicitur habere rectam arborem, idque esse memoratur, etiam cæleste monumentum, grandis illius prodigij, quo arbores silvæ illius universæ S. VVenceslao Boëmiæ Duci illac eunti sese inclinâsse, eique honorem eo flexu habuisse narrantur.

Est præterea in fundis Illustrissimorum Dominorum Comitum à Gallasse silva quæpiam propè Swietlam de qua in eius dividenda cum Fratres duo convenire non possent, media arborum eius pars fuit incurvata, media verò altera mansit erecta, dicitur:

diciturque silva illa in hodiernam diem hac arborum forma permanere divisa.

CAPUT. VII.

Præsagia Mortis.

IN familia Rosensi & Novodomensi, quorum illi albam, isti flavam Rosam pro insignibus gestabant, quædam Domina, nomine Perichta fuit. Hanc ferunt prodijsse ex Familia Dominorum Schvvamberg, junctam matrimonio cuidam Rosensi, uti cognitum fuit, ex quibusdam literis datis monasterio Virginum Crumloviensi: Hæc, quòd Thesaurum magnum auri & argenti abscondisset, grave multis annis purgatorium sustinuit. Nam post obitum inter familiam Crumloviensem, & Novodomensem tota Arce vagabatur nemini nociva, nisi quis illi injurius fuisset. Dominum Petrum VVok Rosensem ultimum ex familia, adhuc puerulum, nutricibus subducebat, ulnisque suis circumgestabat: quin & loco thesauri in Arce Trebonensi absconditi designato nutrices rogabat, ut ubi adolevisset, thesaurum levaret, ut illa quiete poturetur; id quod tamen ipse non fecit. Ante:

te mortem itaque cuiusvis viri aut fœminæ prædictarum familiarum, in alba veste tristis apparere solebat: quod signum fuit aliquem certò ex eis moriturum.

N O T AE.

[ANima illa à veste candida, in qua apparere solet: *Alba Domina* passim dicta nondum apparere cessat, in Arcibus illis, in quibus olim Rosenses, & Novodomenses magnates habitabant. Et in Arce quidem Bechinensi maiorum nostrorum ætate apparebat tam frequens diu noctuque, ut quodam modo ibi habitare videretur, ita horis integris in gynæcæo inter ancillas versabatur, & in Sella aliqua sedebat; vespere per Arcem obambulans candelam præferebat, ita, ut incauti subinde eam accederent, lumen ab ea accepturi. Audita est non nunquam, dum Gynæcæum ingressa, quasi longissimo ex itinere fatigata, se componeret in sellam, cum suspirio, & gemitu dicere: *ô quantum ego hòdie spatium percurri.* Est & hoc admirabile, quod in Arce Novodomēsi, nisi singulis annis feria quinta in Cæna Domini lautum detur pauperibus prandium quorum milleni

con-

confluunt mox Alba illa Domina Arcem totam tumultibus impleat, & homines infestet. Habetur de illa, ut dicunt, revelatio, eam in Purgatorio fore usque ad diem judicii aut saltem, donec Arx novodomensis diruatur. Ante mortem Domini Ioachimi Stirpis Novodomæorum Rosensium ultimi, in Collegio Societatis IESU ibidem P. Rectori Nicolao Pistorio apparuit, hortataque est, ut omnia pro extremis necessaria approperaret.

In familia Com. de Martinitz Arx est Smeczna dicta, unde vulgo eius Domini smeczansky vocati, quæ ab aliquot sæculis hucusque manet in illa Familia, illic est vetustissimum Sacellum S. Annæ Aviæ Christi, in quo singularia quædam præsagia videntur ante obitum personarum adultarum nam, vel lumina à nullo accensa apparent, vel insignia ex alto ex ipso muro decidunt & similia. Recentissimum accidit signum mortis paulo post subsecutæ Dnæ Barbaræ natæ Comitissæ de Martinitz Vxoris Serenissimi Christiani VVilhelmi Marchionis & Principis Brandeburgici olim Coriphæi, nunc Refutatoris acerrimi hæreticorum magni Patrui moderni Serenissimi Electoris Brandeburgici; Nam ex in-

signibus

ſignibur fæmineis, quæ in fornice è regione insignium maſculinorum ſunt ex ſolido lapide ſuſpenſa, deciderunt quædam nullo movente in pavimentum & rupta ſunt omnibus omen ſiniſtrum in perſonam muliebrem ex hac familia præſagientibus. Obitum quoque Illuſtriſſimi D. Comitis Iaroslai, huius Dnæ Barbaræ Patris ſigna varia tam ſupremi Regni *Boëmiæ* Burgravij illic in Sacello, quam alibi *præceſsere.*

In Familia Dominorum Strogetick ſuper templum, aut aliquod caſtellum Iuriſdictionis eorum albus paſſer videbatur, quod ipſi plurimis annis in ſua Familia prognoſticon mortis habebant.

Familia Dominorum Geniſseki de Augezd habebat hydriam ſtanneam, quæ fuit quaſi prodromus mortis eius familiæ. Nam ultro aperiebatur, & claudebatur, & ipſo ſtrepitu homines attentos reddebat, & mortis admonebat.

Simile quid eſt in Famila Dlavhovvskyorum, qui ſunt Dlauhovvsky, Lzaſtolarij, & Chanovvsky omnes eiuſdem Familiæ, nempè ciſta quædam magna.

Ex qua Familia cum fuerit P. Chanovvsky, de hac ciſta retulimus in eius vita cap. 15.

In Familia Prichovvskiorum varia præsapia mortis sunt, Nam si quis moriturus est venator, canes, tubæ, & voces venantium audiuntur: si quis equos amavit, hinnitus perstrepit equorum: si quis Musica oblectabatur, cantus personat. Hæc omnia aguntur in castro Skoczicz. Ita ut distinctius in hac, quam in aliis familiis notetur is, qui à DEO ex hac vita brevi evocandus est: Quod in magnis Dei beneficiis ponendum est.

In eâdem familia habent & hoc. Est Przesticij in templo duobus Clatoviâ milliaribus, in quadam ex dextro latere altari statua S. Ioannis Evangelistæ, quæ quotiescunque ex dicta Familia est quis moriturus in terra absque ulla lesione invenitur cum tamen in summitate fere altaris sit collocata, ubi visuntur, tria capita anserina.

[In Familia Nebylovvskiorum in templo Parochiali ad castrum eorum Polina, uno milliari Clastoviâ ad Missæ sacrificium lumen extinguitur.

Familia Klenovvskyorum dicitur observare ante mortem suorum, fæminam habitu lugubri prospicuentem per fenestram.

Aliæ

Aliæ Familiæ conſpiciunt lumina in ſuis templis: aliæ tumultus, & ſtrepitus audiunt in ſuis ædibus.]

Sic Familia Dominorum de Sternberg mortis ſuorum præſagia habet in templo Parochiali Nepomuci, in quo noctu lumina viſuntur à parte dextra, ſi moriturus eſt maſculus, à parte vero ſiniſtra, ſi fœmina.

[In Arce Schvvamberg, cum aliquis ex familia Schvvambergica eſt moriturus, apparet alba Domina inter familiam, nullique niſi ſibi iniurio, nocet.

In Chudenicz Arce Dominorum Ezernin ante mortem cuiuſvis illorum auditur ſtrepitus, quaſi aliquid arenæ vel ruderum funderetur.

In Arce Kamen, quæ antiquitus ſemper fuit Dominorum Malovvecz prænuncia mortis ſingulorum erant tria lumina miraculosè accenſa, & circumeuntia in terra in hortulo quodam dictæ Arcis.

Familia Dominorum Kolovvrat habet uno milliari à Luna civitate Monaſterium Rozovv, cuius Fundator fuit ſub Carolo 4 D. Albertus à Kolovvrat, qui illic ſepultus jacet. In eo tumulo mirabiles ſubinde motus audiuntur, & lapis ſepulchralis ſudat;

dat; quæ ſigna ſunt mortis alicuius ex prædicta familia. Quare Prior Religioſus S. Auguſtini, qui illi loco præeſt hæc viſa & audita ſolebat toti familiæ denunciare, & Domini eò convenientes confitebantur, & ſe ad mortem parabant, ac tum ſibi vale dicto recedebant quiſque mortem exſpectans.]

Familia Baronum de Lobkovvicz mortis ſuorum habet prænuncium ſonum campanulæ: atque ita D. Vdalricus de Lobkovvicz ante paucos annos defunctus cum eſſet Brunæ in Moravia noctu audivit argenteam ſuam campanulam intra ciſtam incluſam bis perſonare. Coniuge eius etſi vigile nihil audiente. Ex quo mox ille ſibi Filioloque mortem inſtare collegit, quæ etiam utriuſque poſt aliquot menſes eſt ſubſecuta

[Quibus omnibus Deus per Angelos Cuſtodes Familiarum monet mortales ad agendam pœnitentiam. Quod non ſolum in Boemia quin & jam in alijs Provincijs reperitur ſic in familia Comitum Hohen zollern tabula ſtrepens mortem illorum deſignat.

CAP-

CAPVT VIII.

Fontes.

QVadrante milliaris à Civitate Susicensi ad occasum est mons & silva altissimo situ, nomine Dreatobor, quasi dicas *sancta silva Pinorum*; Illic visitur copiosus Fons salubris aquę, quã multi frequenter visitant, & oculos suos & corpora lavant. Non nunquam etiam sacerdotes piam Processionem eò instituunt, & concionem habent ad populum. Origo huius fontis dicitur hæc fuisse. Virgo quædam pia morti proxima Amicos rogabat ut corpus ipsius demortuæ currui imponerent & duos boves jungerent, Qui cum ad prædictum venissent locum nullo modo ulterius progredi voluerunt. Illic igitur sepulta, ubi usque hodie signum sepulchri visitur. Et continuo juxta sepulchrum fons aquæ copiosus erupit. Non est dubium, quin olim locus, iste magnæ venerationi Maioribus nostris fuerit, & illic varij morbi curati sint. Fons nominatur *VVodolanka*. Suspicor quod a nomine illius Virginis nomen sumpserit: quia

quia olim in Boëmia multi viri vocabantur proprio nomine *VVodolan* & fortè non nulla fæmina *VVodolana*. Et ita probabile videtur hanc ita vocitatam & ab illa fontem dictum derivatè more Boëmico *VVodolanka*. Quamvis & fons à Page vel Pagus proimus à Fonte dicitur *VVodolany*.

Ex VVodolanka sæpius rustici tempore siccitatis hauriunt aquam, & in suos puteos & fontes infundunt, certam concipientes spem, se ex nubibus Cœli pluviam habituros, & obtinent speratam. Hic, num causæ naturales operentur, an miracula, an superstitio, doctiores disputent & judicent.

Est ad ad partem alteram eiusdem Civitatis Sussicensis fons, cuius aqua medetur varijs morbis: valdè laudatur.

Reperitur & alius Fonticulus ad Sacellam Sanctæ kunhutæ circa oppidum Straziovv in monte prope fines Boëmiæ & Noraviæ, quo oppidami in maxima penuria aquarum & siccitate cum Processione confugiunt. Et post cantum pium & sacras preces turbant aquam fonticuli. Quo facto vix unquam regrediuntur domum sine pluvia. Hæc retulit R. Dominus Simon Simonis Parochus prædicti oppidi, qui etiã,

ipse fusis precibus & motâ quâ veluti Angelus ad probaticam piscinam una cum populo pluviam impetravit.

Stoborzicensis pagus una cum Parochiali templo S. AEgydij Domini Henrici Kocz altissimo loco situs est uno milliari a Civitate Clatoviensi. Hic etiam in tam alto situ loci Cælestis medicus multis mortalibus medicinam corporalem fontem aquæ proposuit. Celebris solet esse illuc undique peregrinatio quotannis ferijs Paschalibus, & per illam aquam varij morbi maxime oculorum curantur. Magni fit à Populo, eoque magis quod à Sacerdotibus jam sæpius fuerit benedicta.

In Nizovv Dominij Planicensis Illustrissimi Comitis Iaroslai Barzitæ à Martinicz nunc supremi Regni Boëmiæ Burgravij est fons bonâ & salubri aquâ plenus, quam frequentant magnæ turbæ Populi, & varias sanitates corporis à DEO per hanc aquam obtinent. Cuius fontis origo hæc fuisse narratur, Virgo fuit quædam in Bavaria pluribus annis lumine oculorum & visu privata; pro qua DEUM parentes enixe deprecabantur, ut visum recipere mereretur. Ad tam igitur instantem illorum petitionem revelatu illis & Puellæ fuit, ut abirent

ret in Boemiam ad certum locum, & ubi fontē quæ reperit, illuc sanatum in puellam, Itaque ubi ad Nazowv pervenirent, visum est illis paululum subsistere, & ecce fons antè conspectum illorum ebullij, quo illa Virgo oculos lavit, & lumen solis subito conspexit, & DEO maximas gratias egit, ac pro memoria huius facti elegantem, & magnum Crucifixum ad eum locum fieri curavit. qui intuentibus magnam sui affert venerationem.

Susceperat vix quidam subdiaconatum, volens etiam brevi sacerdos fieri: interea excæcatus fuit, Hic veniens ad prædictam aquam piè DEUM veneratus, oravit, oculos aquâ abluit, & continuuò lumen oculorum recepit.

Pagus Brzezian sub Dominio Horazediovicensi est, & ab ipsa Civitate distat circiter medio milliari. Circa hunc Pagum visitur fons in campo, & [illegible] circumdatus novà ædiculà ex muro, ubi plura sine dubio miracula contigerunt quæ notata non sunt: unum tantum, quod ipse bonæ memoriæ Dominus Adamus Pernglo, cui accidit, narrare consueverat, cuius rei narratæ testes plurimi Nobiles etiamnum supersunt. Dominus igitur Adamus Pernglo,

Eques Boemus cum Cive quodam Planicensi ex Psalmo 113. cuius initium: *In exitu Israël de AEgypto*, cantârunt. *Simulacra gentium, argentum & animum, aures habent & non audient, oculos habent & merdam videbunt.* Ita DEO displicuit hæc sacri textus inversio, & abusus, ut illico uterque excæcaretur. Quod illis maximo dolori fuit. Quare inde profecti, cum venissent ad prædictam salutarem aquam è curru descendentes positis genibus culpam suam defleverunt, & suppliciter DEUM pro sanitate deprecati sunt. Deinde aqua oculos abluerunt. Et ecce subitò alter alteri cum gaudio narravit, quæ loca circumposita redonato à DEO lumine cerneret; quæ itidem alter se conspicere affirmabat: atque ita genibus flexis, gratijs ferventer actis sani in oculis domum redierunt,

Ioannes Planicensis Opificio Braxator, cum in gravi morbo nullum appetitum ad comedendum quatuor diebus haberet, nec quidquam cibi gustâsset, voto se obstrinxit, si convalesceret se ad fontem perrecturũ, & juxta illum curaturũ ædiculam in modum sacelli. Et statim convalescere cæpit. Vbi ad aquam accessit, hausit paululum ex illa,

illa, & ſubito appetitus ad comedendum rediijt & ipſe perfectè ſanatus fuit.

Pragæ circa templum ſancti VVenceslai in nova Civitate fons copioſæ & recentis aquæ, quem plurimi Pragenſes quotidie frequentant, partim aquam illic bibant, partim in domos ſuos referunt, & plurimum illâ hauſtâ recreantur, videntur etiam quidam relevari in ſuis defectibus & morbis corporalibus.

Inter Civitatem Strakonicenſem & caſtrum Rzipcze fons eſt aquæ ſalubris, ubi complures ſuis oculis medicinam repererunt. Ex quibus Domina Anna Hexovva civis Strakonicenſis filium Nicolaum cæcum effectum, quem plurimi exiſtimabant ſemper cæcum, & lumine caſſum manſurum, adduxit ad prædictam aquam, & oculos filij abluit, & ſubitò apparuit albugo tanquam pellicula, quæ eſt circa albumen ovi, quam illa detraxit, & ſtatim viſus filio eſt reſtitutus, qui etiam nunc vivit junior Notarius Civitatis Strakonicenſis. Et quamvis in uno oculorum quoddam vitium ſeu defectum habeat; hoc tamen illi, dum è puſtulis laboraret, contigit. Hoc noſtro tempore Dominus Ioannes Raus

 ædicu-

ædiculam quandam curavit illic exstrui, quâ fontem ipsum maxima ex parte inclusit.

Ad Pagum prioratus & Dominij Strakonicensis nomine Krzy. visitur, item fons ad quem columna Crucifixi. Cujus origo hæc est: fuit aliquando in eo Pago Mater Familias, nomine Anna in domo Petraziowiz contra quam Maritus adeò irâ & odio exarsit, ut illam summè affligeret, & verberibus crebrò exciperet, & capillis huc, illucque traheret; unde illa ob magnam afflictionem & continuam vim lacrymarum ratione, & visu privatâ fuit, & amens in silvam Pago proximam profugit. Vbi monitu & ductu Angeli unguibus manuum terram egerere cœpit, donec foveolam quandam effaceret, in qua cum humorem sentiret adesse, oculos abluit, & rationis ac visus pariter compos facta fuit. Abijt ergo in Pagum Lrz zan, & læta vicinis DEI virtutem & omnem suam actionem circa prædictam aquam exposuit. Et ecce subito confluxit illuc multitudo magna ruralis plebis, inveneruntque fonticulum aquæ, quem unus pileus aperiret, & DEUM laudantes adoraverunt. Et quia mulier inventrix aquæ Anna vocabatur, promulgarunt

runt celebrem eò peregrinationem in Festo S. Annæ, unam & Festo S. Mariæ Magdalenæ alteram, & fontem profundiorem effecerunt, muro circumpederunt, & juxta ædiculam exstruxerunt â ... e, ut succ. ssu temporis inibi templum ædificarent. Erat eo tempore quidam dives rusticus in prædicto pago, qui ad dictas Processiones, & Peregrinationes sacerdotes evocabat, & lautè tractabat, qui aquam quatannis benedicebant, sacra ibi celebrabant, & Conciones habebant, ubi multi cæci, & lippientes oculis, multi item scabiosi sanitate donati sunt. Hinc adeò celebris ille fonticulus factus est, ut peregrinationes frequentes eò fierent, non modo incolarũ districtus Prachensis, sed etiam ab alijs longè remotis districtibus, qui cum morbidi fuissent, optatâ sanitate potiti sunt. Silvula autem illa tota excisa, & agri valdè vicini aquæ spectantur. Quibus ne aqua noceat, ipsa non longè à fonte in terram se abdit, & sub agris ad viam erumpit, & ulterius sinè damno pergit: nihilominus tamen agros, sub quibus fluit, valdè fæcundat. Quam Processionum celebritatem interruperunt proximè exorta bella; ubi plura sinè dubiò miracula facta oblivioni data sunt. Hoc

tamen narratur unum, quod quidam (quo animo, vel quibus in peccatis incertum est) totus nudus fontem ingressus, corpus suum lavit & statim aquâ evanuit. Quare incolæ denuò altius foderunt, & rursum aquam provocârunt, & reduxerunt.

Circa montem viridem ad medium miliare versus septentrionem est in silva sacellum S. Adalberti ubi ipse sæpe locum transiens quiescebat, ubi visitur, in ipso sacello lapis in quo jacebat, & alter in quo sedebat Non longè inde in altera silva est fons, quem dicitur idem S Adalbertus Martyr & Pontifex benedixisse; unde dicitur & creditur aqua illa sanitates non nullas operata. Quare sæpius, maximè ferijs maioribus Paschatis, & festo ejusdem sancti, quod est 23. Aprilis, quibus diebus locus ille maiori frequentiâ hominum, colitur, populus aquam visitat, & oculos abluit.

Fontem in suburbio Civitatis Clatoviensis dicitur olim invenisse quædam Virgo nomine Clatovvka, sive Glattka filia Bytiz illius, qui in Pago suo Bytiz in Districtu Padbrdensi mandato Principis fuit ob excessus quosdam suspensus, cuius Filius & Frater prædictæ Virgiuis VVolstreta pagum

gum VVolſtreiticz, & eius Frater Lubec pagum Lubij ædificârunt, ut habet Hiſtoria Civitatis Clatovienſis. Hæc, inquam Virgo aquæ bonitate delectata Tugurium illic exſtruxit, & habitationem ſtatuit. Vbi ſucceſſu temporis Civitas fundata ab ea Virgine dicta eſt Clatovia Aquam inde multi ægri accipiunt, & eius refrigerio recreantur. Sed utrum morbos aliquos pellat mihi non conſtat.

De fonte Straßinenſi ab ipſa ſanctiſſima Cæli Regina digito facto dictum eſt in vita P. Alberti Chanovvsky cap. 3.

CAPVT.

Loca ſacra.

PRagæ multa ſunt loca ſacra, & in primis antiquæ urbis forum, illic enim multum ſanguinis Chriſtiani per totum illud forum effuſum fuit quando nimirum Drahomira impia Dux per ſuos Ethnicos curavit Chriſtianos mactari.

Hoc forum aſſerebat ſe P. Chanovvsky nuuquam ſine magna reverentia ob memoriam martyrum eo loco interfectorum tranſire.

In eadem Antiqua Vrbe ad initium pontis, ex opposito templi & Collegij Societatis IESU est columna & super illam Imago S. VVenceslai: hæc denotat translationem corporis S. VVenceslai. Nam cum Boleslaus Fratricida corpus S. VVẽceslai curasset Boleslavia veteri occultè Pragam deferri, ut sanctitas eius minueretur, & miracula Boleslaviæ fieri Consueta, cessarent, cum jam bis trajecissent aquas sine ponte & navi solo Dei nutu & miraculo, cum venissent ad locum dictæ columnæ steterunt, & quia tunc pons illic nullus erat, cogitare cœperunt quomodo Moldavram transituri essent, ne proderentur quid veherent. Et cum hæc cogitarent, in nictu oculi viderunt se esse trans flumen in Parva Parte virtute divina constitutos. Pro memoria huius rei est erecta dicta columna. Cum autem progrederentur, per minoris Pragæ forum ante publicos carceres mox currus cum sacro illo corpore ita substitit, ut nulla vi, nec plurimis boum iugis loco potuerit moveri, donec omnes carcere illō detentos, dimisissent. Ita S Martyr etiam post mortem voluit in miseros esse benignus. Eo in loco nunc in templum est Parochiale

chiale

chiale eidem sancto dicatum juxta templum S. Nicolai.

In præmbio Pragensi nomine Pohorzaleczante domum quæ vocatur ad globum aureum, est locus nunc murali columnâ conspicuus ubi Drahomira impia Mater sancti VVenceslai á terra fuit absorpta ante templum sancti Matthæi quod ædificari curavit Spitihneus Dux, Patruus S. VVenceslai.

Hospitale & templum S. Antonini in Hradizan iuxta Schwrensem portam, ædificatum est à S. VVenceslao pro pauperibus & pupillis, quos ille sanctus loco filiorum habebat, ijsque subministrabat cibum ex culina sua.

Hoc Hospitale postea auxit Ioannes quintus Archiepiscopus Pragensis secundus, ut dictum est cap. 5.

Templum S. Procopij in Parva Parte illic ubi olim rusticus limen primum Pragæ, & postea primam domum ædificavit (unde Praga à Libussa dicta fuit Boëmicè *Limina* id est *Praha*) est positum iussu ipsiusmet sancti Procopii qui Civi domus illius Hero Sulislao & Vxori Dobromilæ apparuit, locumque illum sub suo nomine DEO jussit consecrari Anno 1213. Id est ab obitu ip-

ſius S. Procopii Abbatis Anno 160. ab eius Canonizatioue Anno octavo à fundata Praga Anno 490.

Radomiſslii templnm eſt S. Ioannis ubi Domina Margaretha Ezegkovviana magnos cruciatus venticuli pati ſolita, cum jeiunâſſet & ad Templum id Deum precatura acceſſiſſet, ab iis doloribus fuit deinceps libera.

Circa idem oppidum in Colle ſunt ædificata ſex templa invicem coniuncta, quamvis Populus novem templa neſcio quo errore, nominet. Hæc curavit ædificari D. Pater Nicolaus Krziziek Parochus eius loci Cru iger, & poſtea Prior Crucigerorum Melitenſium Anno circiter 1570 pecuniâ in eâ optimâ Parochiâ collectâ: quamvis alij putent ab eo theſaurum magnum in agro inventum, & inde eum ædificâſſe. Obiit Prior exiſtens in Conventu Strakoniczenſi Anno 1589. Sepultus Radomiſsly in templo S. Ioannis à ſe fundato.

Hic olim fiebāt magna miracula, & magnæ peregrinationes: quin etiam modo mittunt imagines partim pictas, partim fictas cereas & fatentur ſe á variis morbis [illegible] [illegible] Z[illegible]zana. nata

[illegible]

Kanieykiana D. Georgii Horczice Vxor, in tolerabili colicâ sæpius læborans, ex bonis suis Ezickanicz ad unum milliare nudis pedibus pergens ita sanata fuit, ut nunqu..m postea ex eo morbo laboraverit. D. Catharina Plotiana nata Ezeykiana sæpius per intercessionem S. Ioannis, & ad prædictum locum peregrinationem multa bona obtinuit. Quæsi singula diligenter conscripta fuissent, forsitan iustus liber extitisset.

Est Pagus Milcze non longe distans ab Oppido Nepomuk & Arce Zelenahora, ubi Ecclesia Parochialis est, sculpta imago Virginis & Martyris Barbaræ stantis supra suum persecutorem & Tyrannum, ibi homines maximè ex oculis laborantes ieiunando communiter tribus feriis sextis & orando ante dictam Imaginem, sanitatem perditam recipiunt, & dona varia, uti linteea, linum & cereos offerunt quam Ecclesiam hoc Anno 1640. renovavit, & ornavit Illustrissimus D. Ioannes Iunior Rziczansky Kavvka.

Ex oculis laborantes isti nostro sæculo sanati sunt. Andreas Bubulcus ex Mohelnicz Pago, filia item Iudicis Hagen ex Pago Kramolin. Et quædam fœmina ex Koczenic,

zenic, itē Bartholomæus Zika ex Pago milecz tredecim ſeptimanis lumine caſſus, dicto medio lumen recepit, & Ioannes filius eius ſeptem hebdomatibus & Magdalena Vxor dicti Bartholomæi, etiam ſeptem ſeptimanis videndi virtute privata, beneficio & interceſſione B. Barbaræ ſanitate donati fuerunt. Apud eandem glorioſam Martyrem, quas miraculorum virtutes Dominus fuerit operatus in hominibus incolis, prædictæ Civitatis Nepomuk ſenatus ipſe collegit, & conſcripta ſuo ſigillo munivit, quæ hic ſequuntur.

1. Dorothea Fantovva in pleno ſenatu teſtificata eſt de Martha Matre ſua, quòd cum illa ſex hebdomadis viſu caruiſſet, noctu quieſcentem quidam puerulus allocutus fuit, mandans, ut voveret peregrinationem ad D. Barbaram, ſanitatem illi promittens. Quare ſummo manè accipiens ſuos liberos etiam prædictam Dorotheam, ad dictum templum profecta ante altare S. Barbaræ genu flexit, & cum ipſius imaginem attingere non poſſet, imaginem vultus Domini ſtrophiolo attigit dicens: *Domine Ieſu Chriſte, ſcio quod nequeſis ſculptus neq; pictus, ſed vivus, dignare me ſanare:* Et tergens eo ſtrophiolo oculos

ſuos

ſuos ſtatim quaſi ſquammæ ab oculis illi cecidérunt, & clarè vidit, & amplius neminem viæ ducem re[illegible].

Iudith Kregiczkovva habuit Dorotheam filiolam duorum annorum eodem defectu oculorum laborantem. Igitur exemplo ſupra dictæ Marthæ eam ad dictum templum detulit, pro eaque antè ſacram imaginem D. Barbaræ, Deum & D. Martyrem exoravit, & filiæ ſanitatem impetravit.

3. Catharina Havvliczkovva ob tollendam ſterilitatem ſuam in matrimonio vovit peregrinationem ad S. Barbaram, & illic Sacramentaliter confeſſa, & cæleſti pane refecta, & ſupra altare S. Martyris Barbaræ unam mappam obtulit, & paulo poſt fructum ſuæ peregrinationis experta feliciter cum Marito ſuo Hieronymo Anner prolem habuit. Alias eadem habens filiolum ægrum illum adduxit ad templum & altare idem S. Virginis Barbaræ pro illo orans, qui ſanitate recuperatâ etiam modo vivit.

4. Paulus Svvobada Senator ætatis annorum 60. etiam teſtatus fuit, quod defuncta vxor eius Veronica multo tempore oculorum dolorum ſentiens huiuſmodi pe-

regrinatione ad altare B. Barbaræ ſanitatem recepit.

5. Eraſmus Schlechta, Civis & Senior Populi teſtatus fuit, quomodo antè annos viginti cum eſſet æger oculis jam quinque annis, & cum non poſſet ullo alio remedio ſanari, trium dierum ſuſcepto ieiunio & peregrinatione ad ædem S. Barbaræ in Milecz, ſecundum Conſilium quorundam piorum hominum, illicque antè altare D. Barbaræ flectens oravit, & particulâ mappæ altaris oculos extergens, illico ſenſit ſui viſus aliquam ſanitatem, & exinde nunquam amplius oculorum dolorem expertus. Actum in Prætorio Nepomucenſi 15. Iunij Anno. 1640.

Ad Arcem & oppidum Spvvhovv eſt in colle templum, quod aliquando Parochiale fuit in honorem S. AEgydij conſtructum. Hoc magnas fertur olim prima ſeptembris habuiſſe peregrinationes, & miracula, uti D. Martinus N. loci Parochus, & alii reſtabantur.

In Dominio Krzivvoklatenſi, cuiuſdam Pagi incolæ moliebantur templum erigere in medio ſui Pagi, in DEI & S. Gothardi honorem: ſed quidquid lapidum advectum fuit de die, amiſſum eſt nocte, & ad

cuiſ-

colliculum amœnum juxta piſcinam quandam non adeo remotam è Prædicto Pago translatum. Quod animadvertentes ruſtici illic templum exſtruxerunt. Viſuntur adhuc foſſæ & terra ex ijs egeſta in prædicto pago, ubi jam jam fundamenta iacienda erant.

Simile quid contigit in Pago quodam nunc Equitibus de Ziakavvecz ſubiecto, duobus milliaribus Clatovia diſſito, ubi templum eſt D. Vito Martyri dicatum, quod olim Cænobio Doxanenſi Virginum Præmonſtratenſium erat ſubjectum, Id cæptum erat alio in loco ædificari, ſed quidquid per diem erat erectum, id per noctem disjectum, lapideſque eo in loco priori oppoſito reperiebantur, ubi nunc templum illud viſitur. AEdificantes ergo, ex hoc miraculo, Dei voluntatē interpretati, templum ibi exſtruxerunt, quo lapides translatos invenerunt. Magna in hoc templo ſub ferijs S. Viti exercetur Populorum pietas, huc ex locis vicinis accurrentium numero ingenti.]

Et Mitivum oppidum in diſtrictu Podbrdenſi medio milliari à Civitate Przibram diſſitum; cuius Incolæ ante multos annos cum vellent templum & Parochiam ædifi-

[illegible]

ficare. propè suum oppidum, ubi modo fuit columna lapidea in memoria Passionis Domini, quidquid de eo lapidum cò convexerunt, id totum per noctem miraculosè translatum fuit ad eum locum, ubi modò templum S. Petri visitur. Quod cum Incolæ advertissent cò loco terram pro fundamentis eruere cæperunt. Et ecce statua lapidea longa unius magnæ ulnæ valdè gravis, similis imagini S. Petri Apostoli profundè in terra reperta est. Templum itaque in honorem S. Petri ædificatum quod alias vocatur Sslivvice, quod latinè sonat: *iverunt plures*. eò quod quantumcunque multi cò homines unquam convenerint, nunquam tamen templum replerent, quin adhuc plures possent intrare. Tempore autem, quo Hæresis in Boëmia regnabat Prædicans loci illius prædictam Imaginem ex templo accepit dicens: *Petre, veni mecum, non est hic locus tuus*, & posuit illum ad suam Parochiam. Paulo post nescio qua de causa reversus ad templum Imaginem invenit stantem præ foribus templi cui ille: *O Petre non est hic tuus locus Veni me cum ego te ita hinc amovebo, ut nunquam amplius huc revertaris.* Et ecce Imago invasit illum & ita compressit, ut

brevi

brevi moreretur. Ad hunc locum olim celebres fiebant peregrinationes.

NOTAE.

De hac statua narrant eam nonnunquã tam gravem factam esse ut nulla humana vi loco moveri posset: aliquando etiam templo illo egressam viatoribus in vijs publicis obviasse. Illud etiam de templo illo est vulgatissimum, quod nulla unquam populi multitudine repleri possit, quin pluribus ad huc locus supersit, cuius stupendi miraculi modum deprehensuri nonnulli vicini nobiles conspiratione factâ subditorum suorum, multa millia undique ad certum diem simul adduxère & templo catenam circumdedêre ferream, visuri, num forte parietes discederent, ut tanto Populo semper in templo locus superesset. Sed immotâ catenâ immotisque parietibus ingresso Populo illo universo superfuit locus pluribus ingressuris.

In arce viridis Montis amplum est templum S. Adalberto dicatum, qui in loco illo, ubi nunc summa templi eius ara est, stetisse, & Boëmiæ benedixisse dicitur.

Est & summa in Metropolitano Arcis Pragensis templo Ara sepulchro D. Martyris Viti adiuncta inter sacra Boëmiæ lo-

ca reponenda, in qua ſæpius, adverſum eſt eos ſacrificium miſſæ peragere non potuiſſe, qui cum anima peccato mortali fœda acceſſiſſent, id quod de ſe palam ſæpe teſtatus eſt & Reverendiſſimus Domin⁹ Sixtus de Lerchenfels Litomericenſis Præpoſitus dicebatque ſe quadam vice quaſi in ſacrificio medio excæcatum, ut nullo modo poſſet progredi, donec contritione viribus omnibus quibus poterat, ſæpius elicita tantulum ſibi lumen affulſiſſet, ut quaſi per caliginem intuendo reliqua ſacrificij vix abſolveret, & mox finito ſacro peccata Confeſſione expiaret. Quin & temporibus. Rudolphi ſecundi Cæſaris caſus eiuſmodi Sacerdoti cuipiam ſeculari accidit, quem cum ad altare cæcitate ita percuſſum præſentes adverterent, ut Miſſam non poſſet abſolvere ullo modo, eorum aliqui ad antiquam uſque Civitatem ad Collegium *S*ocietatis IESU (magna enim tunc erat adhuc Catholicorum & Sacerdotum Pragæ paucitas) decurrerunt, indeque Patrem *M*arcum Soldanum Congregationis Italicæ Præſidem advocaverunt, qui per tantum ex Collegio ad Arcem uſque ſpatium tandem accurrens ſacerdotem illum ad ipſam Aram ſacramentali abſolutione à

pec-

peccato illo liberavit, quo facto sacerdos mox oculorum recepit visum, sacrificiumque nulla difficultate peregit.

CAPVT X.

Mixta,

VIdi in Dominorum Nebylovvsky Castro Polina vnum Nummum argenteum ex ijs triginta, quibus Christus Dominus à Iuda præditore venditus fuit. Fertur quidam Nebylovvsky olim cuidam summo Pontifici pluribus annis fideliter servivisse, & pro magna gratia eum Nummum impetrâsse. Contigit nonnunquam ut plures Fratres in dicta Familia & bonis, hæreditatem inter se dividerent, & pro magna parte vnus hæreditatis nummũ illum ponerent. Ille ergo qui ex illis vna cum nummo accepit minimum hæreditatis, brevi tempore alijs Fratribus ditior fuit. Deus illi benedixit, sicut domui Obededom propter arcam Fœderis.

Cum in Monasterio Milivvsko, Ordinis Præmonstratensium Religiosis per hæreticos expulsis intempesta nocte jaceret in lecto circa anorum Domini 1600. Dominus David Bechiniè vir Ordinis Equestris apparuit cum luce. Processio Monachorum, quæ circumibat cubiculum interius, & quoties ad ejus lectum venerant, toties illi in fronte

fronte aliquid capillorum evulserunt, singuli per ordinem, adeò ut calvus fieret in fronte, & sic usque ad mortem permansit, hæc sunt plurimis nota.

Mira Dei providentia circa quosdam spectata Anno 639. nam circa Civitatem Przibram cùm omnia & hostis Panis suecus, & noster miles devâstessat, coacti Rustici in silvas se recipere. Cum autem quidam circa finem Februarii domum se recepissent messem instituerunt Alii post Pascha idem fecerunt, atque copiosam messem & panem habuerunt, quidam in pago dubno nomine, triginta messores conduxit, alij alibi totidem, Fæminæ etiam rusticanæ linum & Canabum totâ hyeme in agro stantem reperunt, & pro suis usibus facilè parvo labore eum magno fructu aptaverunt.

Pragæ in Arce sub fenestra Cancellariæ Boemicæ in fossa sunt tres Cruces memoria Domini Iaroslai Borzilæ de Martinicz, nunc supremi Burgravii Regni & Domini VVilhelmi Slavvatæ nunc supremi Cancellarii, & Domini Magistri Philippi tunc secretarii Regni, quos rebellantes hæretici ob fidem catholicam & fidelitatem S. C. Majestatis ex fenestra Cancellariæ deorsum præcipitaverunt. Quibus tamen ille lapsus parum nocuit.

Circa civitatem Pergraichstein sepra sufficium

ficium montes ſunt ad meridiem, verſus Bavariam vbi incipit Hercynia ſilva, quæ cingit Boemiam: ſunt etiam ad ſeptemtrionem alij montes oppoſiti. & profunda vallis interiacet inter utroſque tantaque eſt inter utroſque differentia, ut non unquam ad ſeptemtrionem æſtas, ad meridiem verò hyems eſſe videatur: Illic nullæ nives, hic maximæ reperiantur. Quod ipſe Anno 1639. expertus fui, cum illas magnas nives tranſirem; Eam ob cauſam multò citius in vna parte Montium Meſsis, quàm in altera abſolvitur.

Idem reperitur inter Dominium Bieſsin, & Dominium Czachrovv, vbi campi ſunt contigui, quos vnus tantùm quodam modo ſulcus dividens facit, ut dum in parte Czachrovvienſi ſunt frigora hyemalia, in agro Bieſsinenſi ſit calor æſtivus; hic Meſsis illic frumentum immaturum conſpiciatur, quæ cauſſa ſit tantæ diverſitatis diſputent Philoſophi.

Auctaria.

INnumera ſunt naturæ miracula pariter & munera intra Boemiam, quæ ſingula qui perſequi vellet codices benè grandes impleret nam ſoli illi montes Boemiæ ſeptemtrionales dicti *Gigantæi* tomum exigerent; ego hic paucula obiter, ut ſe memoriæ obtulerunt, conſignabo

Prope oppidum Mitlvvaldium, qua verſus Ziambergam iter eſt, mons eminet, cuius latus vnum ſæpe eſt nivibus pleniſsimum, quando alteram floribus eſt amæniſſimè conſpetſum. Jn

In districtu Czabitensi locus est in Fundis excellentissimi comitis Hertvvici de Nosticz Boemiæ Cancellarij igne subterraneo perpetuò fumans, crebroque flammis coruscans.

In eodem districtu mira varietate sunt Thermæ multiplices, partim noxiæ, partim varios ad versus morbos mirè salubres; tepentes aliæ, aliæ nimio fervore bullientes.

Hic præterea aquæ, quas dicimus acidulas, sunt toto sparsæ districtu viribus medicis, & sapore admodum diversæ.

Sed & fluminum Boemiæ mira est differentia, nam solus *Moldava* Pragam triplici colore varius pervadit, ea siquidem parte, quà veterem allambit urbem, candore, quem ab *Misa* accepit, speciosus incedit; *ripam* verò adversam tetro, quem à *Sazavvæ* aquis hausit, squallore alluit, medias verò nativo suo vivore gratiosus delabitur. VVatavva margaritarum, aurique ferax, crystallinis vbique pellucet vndis. Quin Salmones ipsi aquarum Boemiæ diversitatem notant, qui è mari per adversum *Albim* huc eluctati, Moldavam deinde, & Aquilam ac VVatavvam magno frequentant numero, egra, *Sazavvâ* Misâ, *Luznicâ* penè desertis relictis.

Lapides pretiosi circa Giczinium & alibi ingenti Numero, sed & ingenti magnitudine colliguntur nam & ego vidi *Rubinam Boemicam* magnitudinis cubitalis pondo 60. aut 70 librarum atque huic magnitudine, & pondere æmulum Topazium.

In districtu *Prachensi* minutæ gemmæ granatæ ita sparsim per solum jacent ut eas anseres cum granime deglutiant quales ego ex vnius anseris stomacho circiter 60. exemptas vidi.

Habet præterea Boemia Adamantes, Iaspides, Saphiros Crystalum, sed & Carbunculi sunt hic quandoque inventi, ut & gemmæ aliæ generis diversi.

Illud autem eſt in metallis admirandum quod aurum & argentum in Boemia ſæpius è terra in altum virgarum & culmorum inſtar excreverit; nam & fodinæ Kutenbergenſes originem, nomenque inde habent quod Monachus quiſpiam Ciſtercienſis, cum per ſilvas errans in virgam argenteam e terra frontis inſtar egreſſam incidiſſet, veſtem ſuam religioſam, germanis *Khutten* dictam ex ea ne memoriam loci illius amitteret, ſuſpenderit tantiſper dum celeri pede in cœnobium regreſſus Abbati ſuo rem nunciaret

Sic Rudolphi ſecundi Cæſaris temporibus in Prachenſi diſtrictu meſſorum unus, dum frumentum demetit, inter ſpicas alias culmum aureum demeſſuit, qui cum frumento reliquo excreverat de terra.

Quandoque etiam viribus ſe aurum filatim circum plectit è terra excreſcens; aliquando verò intra arbores invenitur circa medullas & venas inſtar tenuiſſimi funiculi in altum eductum.

Vitrum Moſchovviticum etiam circa Kaczovv inveniri poteſt,

Terra ſigillata, tanti in remedica vſus, albi pariter. & rufi coloris propè Iablonam, & alibi eruitur,

Sal ſæpius in Boemia repertus, ut & temporibus Ferdinandi primi Cæſaris in diſtrictu Reginæ Headecenſi; ſed abundantia ſalis exteri reges ab eruendo *Patrio* avertit

Mala aurea, mala gravata, mala citrina, ficus, piper, aliaque ejuſmodi fructuum & aromatum genera. intra hortos *Boemiæ* proveniunt: certe crocus Majorum Noſtrorum ætate Lidochovvicij tanta colligebatur copia, ut quotannis aliquod urnarum vas impleret, cujus ſinguli ſextarij floreno vno venibant.

Goſſypium etiam tam rarum naturæ donum eſt in Boemia deprehenſum. Nec

Nec minus & atrocissima venena germinat Boemia, nam & Napellus, venenorum Rex, cæruleus pariter ac albus magna copia provenit. In quo miratus sum aliquando naturæ providentiam, quæ pecoribus ne [illegible] animi [illegible] [illegible] illud [illegible], ut Napellum noxioso è gramine & pabulo evolvant, evolutumque ore detrudant ad latus, nec eo ullo modo pasci velint.

Monstra variaque animalium prodigia sæpè in Boemia visa, quale & illud est quadrupes quod in horto virginum Carmelitanarum in Parva Praga depictum spectatur.

Animalium verò genera sunt plurima in Boemia, inter quæ Aquilæ, Lynces, [illegible], [illegible] Castores, Lutræ, Martes, [illegible] Scorpiones, Serpentes, & quidem etiam nonnulli caput diademate ornati, quale unius diadema apud me spectaculo servo.

Piscium etiam tot genera est reperire, ac formas, ut Illustrissimus Dominus Franciscus de Sternberg Horazdioviciј è solo Fluvio VVatava exemplorum in uno eodemque prandio habuerit super mensam viginti duo genera diversorum.

Est etiam intra Boemia vocale quoddam genus, minutorum pisciculorum, qui ubi se à piscatoribus clausos advertunt, sibilis, gemitibusque sortem suam intra aquam, ac etiam aquâ extracti mirum in modum deplorant.

A. M. D. G.

BORZIVOG EX LIBVSSÆ SANGVINE ORIUNDVS BOEMIÆ DVX,

PRIMVS IN BOEMIA CHRISTIANUS, FUNDATOR BASILICÆ DEIPARÆ VIRGINIS IN TEIN.

S. LVDMILLA VXOR EIVS.

I

VVratislaus Fundator Templi S. Georgij in Arce Pragensi.
Drahomira Vxor eius scelestissima

S. VVenceslaus Martyr Fundator Ecclesiæ Metropolitanæ. S. Viti Martyris Pragæ.

Boleslaus sævus Fratricida

S. Przibislava Virgo

Strzezislavva Slavvnici Comitis Henrici Aucupis Cæsaris Nepotis Vxor.

Dubravvka Vxor Miecislai Poloniæ Regis primi Christiani

B. Milada seu Mada ordinis S. Benedicti

Boleslaus pius Fundator Episcopatus Pragensis & Monasterij Brzevvnoviensis.

Christanus Religiosus Benedictinus in Brzevvnovv.

S. Adalbertus M. S. Gaudentius Archiep. SS. Sobiebor, Spitinir, Bohuslavv. Borzea & Czaslavv, Martyres. Et octavus frater qui in Poloniam fugiens, ibi Heroibus de Rozdrazovv originem dedit.

I

Boleslaus Coecus

I

Vdalricus

I

Brzetislaus
qui corpus S. Adalberti retulit in Boëmiam ex Polonia

I

Spitigneus Ædificator magnificæ Bosilicæ Metropolitanæ S. Viti Pragæ

VVratislaus Rex Fundaror exemptæ Ecclesiæ VVissehradensis.

Otto Marchio Moraviæ

I

VVenceslaus Fundator Olomucensis Episcopalis Ecclesiæ S. VVenceslai

Ludmilla Viperti Marchionis Lusatiæ Vxor Fundatrix Cœnobij Pegavensis ordinis S. Benedict

VVadislaus Dux Fundator cœnobij, Bmæ. Virginis Cladrubiensis

B. Henricus; Episcopus Olomucensis.

Iuditha VVadislai Poloniæ Regis Vxor

Elisabetha Præmonstratensis Virgo in Monasterio Duxovviensi

S. Amabilia V. Benedictina,

VVadislaus Dux Fundator Cœnobij Strahoviensis
Vltima Vxorum eius fuit Filia S. Leopoldi Ducis Austriæ

Theobaldus Baronum Svvihovvsky origo

Henricus

I

Henricus Brzetislaus Episcopus Pragensis Boëmiæ Inter-Rex

B. Angela Virgo [ut creditur] Carmelitana

VVadislaus Moraviæ Marchio.

B. Euphrasia V. & Martyr.

Primislaus Ottocarus. Rex, Fundator Cœnobii S. Iacobi Pragæ ordinis S. Francisci
Abdela & Constaatia Amita S. Elisaberhæ Vxores eius

B. Agnes Benedictina

S. Albertus seu Adalbertus Salisburgensis Archiepiscopus Nepos S. Leopoldi ex Matre. Fundator Præmonstratensis Cœnobii ad Straubingam:

B. Abdela Cisterciensis ex Abdela genita

VVenceslaus Ottocarus Luscus Rex Fundator Hospitalis Crucigerorum Pragæ ad pontem, ex Constantia genitus

I

Primislaus Ottocarus magnus Rex

S. Agnes virgo Franciscana Fundatrix Cœnobii S. Francisci Pragæ, Ex Constantia genita.

B. Kunhuta Benedictina.

VVenceslaus Ottocarus Bonus Rex. Fundator Cœnobii Aulæ Regiæ Ordinis Cisterciensium

Elisabetha Vxor Ioannis Lucenburgici Boëmiæ Regis.

VVenceslaus Ottocarus Rex Iunior, ultimus Regum è linea masculina S. VVenceslai.

Carolus 4 Cæsar.

Sigismundus Cæsar.

Elisabetha Vxor Adalberti Austriaci Cæsaris

Elisabetha Vxor Casimiri Poloniæ Regis.

VVladislaus Boëmiæ Rex. S. Casimirus.

Elisabetha aliàs Anna vxor Ferdinandi 1. Cæsaris

Carolus Archidux Austriæ, Dux Styriæ

Ferdinandus 2. Cæsar

Ferdinandus 3. Cæsar.

Leopoldus primus Cæsar

